

IOANNIS SEVERINI

TENTAMEN ZOOLOGIAE HVNGARICAE,

SEV

HISTORIAE ANIMALIVM,

QVORVM

MAGNAM PARTEM ALIT

HVNGARIA.



POSONII,
TYPIS FRANC. AVGVSTINI PATZKO.

1779.



Chas. W. Richmond



PRAEFATIO.

Non eadem fuit ratio conscribendi fundamenta Tentaminis huius Zoologiae Hungaricae, quod L. B. oculis vsurpas, quae erat auctius tandem redditi, in lucem id proferendi publicam. Constat inter eos, qui peregrinas norunt consuetudines, Historiam Naturalem, in omnibus propemodum Europae non Academiis solum, sed Gymnasiis etiam, ac Scholis Iuuentuti sedulo inculcari. Tam praeclarum institutum, auctoritate regia, in Hungaria nostra stabilitum, imo demandatum, sequi, ratio muneris mihi concrediti exigebat. Qua ex re, principio quidem notitiam animalium, quae Hungaria praesertim alit, Auditoribus meis, pro virili, exponere intendebam. At non occurrebat auctor, (nondum enim tum adhuc Elementa Hist. Nat. Budae vulgata erant) quem in hoc genere studiorum, commode sequi possem. Necessitas proin quaedam me adegerat, vt Historiae Naturalis primam hanc partem, ordine, quo potui, memoriae, et argumento ipsi conuenientissimo, in chartam coniicerem: vti, quemadmodum mihi docendi, sic Auditoribus dicta repetendi faciliorem, tali modo, redderem prouinciam.

Atque haec erat iam ratio conscribendi libelli huius stamina. Accipe porro, quae me tandem ad augendum edendumque permouerat. Obseruaui scilicet interea, dum proponebam, Auditoribus blande, et cum fructu arridere

stu-

ſtudium, quod Galli, Angli, Sueci, Ruſſi, Germani tantopere hodieque amant et colunt. Augurium inde capiebam, ac praeſagiebam quaſi, id caeteris quoque ingenuarum artium ſtudioſis, quin patriae vniuerſis ciuibus litteratis perplaciturum. Qua ſpe factum eſt, vt, poſtquam clariſſimos in hac materia ſcriptores conſulueram, et in vſus meos, quatenus per breuitatem licuit, conuerteram, opus cceptum perpolirem, ac publici facerem iuris.

Tentamen id, quam Inſtitutiones, adpellare malui: quo ita patriae ciuibus darem occaſionem, ſtudium hoc, ab Hungarorum, quod ſciam, nemine, ſi Budenſe Compendium excipias, hucdum occupatum, copioſius rectiusque exponendi: Zoologiae item Hungaricae, quam vniverſalis titulum praefigere, et exotica ſimul, ac ſola domeſtica animalia deſcribere; vt ea ratione, et auiditati multorum peregrina cognoſcendi velificarer, et locum facerem inueſtigandi curatius, quae potiſſimum animalia Hungaria foueat. Vtinam eſſet, qui reliquas quoque partes Hiſtoriae Nat. patriae multarum rerum feraciſſimae, ac imprimis volucrium piſciumque notitiam, Ornithologiam ſcil. et Ichthyologiam, Floram item Hungaricam conſcriberet. DEVS opt. max. excitet animos, qui opus tale, ad eius magni nominis gloriam, & augmentum ſcientiarum perficiant. TV interim, L. B. haec precanti, et artes liberaliores, qualicunque opella poteſt, adiuuanti, benigne faue. Scribebam Schemnicii, die 6. Auguſti, anno 1779.



Q. D. B. V

HISTORIAE NATVRALIS PROOEMIVM.

§. 1.

Priusquam Zoologiae tractationem adgrediar, generatim de Historia Naturali, cuius vtpote illa pars est, nonnulla praefari mearum esse putaui partium. Sunt, qui per hanc in genere notitiam corporum mundi intelligant; quo fit, ut de structura corporis, eiusque vi motrice et inertiae, de legibus motus, de aquae, ignis, aerisque natura ac proprietatibus praeclare commententur: nec his solis contenti, astrorum cursum di-

ſtantiamque metiuntur et nobis exponunt, ſolis, et huic ſimilium ſtellarum naturam effectusque; innumeros praeterea planetas: quando ſtellas, corpora lucida, eaque ingentia, ſuos habere oportet, eorumque colonos rationales: ſiquidem Numen ſapientiſſimum cuncta ad nominis ſui gloriam, nihil vero fecerit fruſtra; multa ſuper haec, quae his affinia ſunt, profeſerunt in medium, vid. Saltem Cl. EBERTI Hiſt. nat. cui titulus eſt: *Naturlehre für die Jugend.*

§. 2.

Pulchra quidem haec ſunt, atque vtilia, ac proin adeo non temnenda, vt contra iuuentuti, inprimis, quae ad altiora ſtudia adſpirat, ſedulo proponenda. Nihilominus, ſi fatendum, quod res eſt, haec proprie partim ad Coſmologiam, partim ad Phyſicam, partim ad Aſtronomiam, aut ſi mauis, Vranologiam pertinent

nent, non vero ad *Hiſtoriam naturalem*. Quocirca verius ego hanc *notitiam proprietatum corporum terreſtrium* dici poſſe exiſtimarim; ex his enim tam natura corporum, quam characteres, quibus ea a ſe inuicem diſtinguuntur, facillime cognoſci poterunt. Nec tamen hic artis ope effiсta, ſed ſola naturalia corpora velim intelligi.

§. 3.

Atque haec iam ſunt, vel talia, quae pulchre quidem et ſapienter congeſta ſunt, organis tamen ad creſcendum, & motum proprium carent; itaque et vita, et ſenſu: alia quibus ſenſus quidem deſunt; gaudent tamen anima vegetatiua, et organis ad creſcendum: alia iterum anima ſibi conſcia, et motu ſpontaneo inſtructa ſunt. Illa conſtituunt *Regnum minerale*: haec *Regnum vegetabile*: iſta *Regnum animale*. Etſi vero tria

haec regna, adeo inter ſeſe differunt, vt iam Seneca ſcripſerit: *Totam huius mundi concordiam ex diſcordibus conſtare:* nihilo ſecius ita natura conſtituta ſunt; vt ſibi inuicem pulchre ſeruiant; vniusque ſaepe interitus fiat vita, certe incrementum alterius. Qui regna iſthaec ſyſtematice proponunt, ſolent corpora in iis obuia diſponere in claſſes, ordines, genera, ſpecies, harumque varietatem. Vniverſam Hiſtoriam Naturalem hoc modo expoſuit Illuſt. LINNAEVS, quem in compendio dedit CL. BECKMANN.

§. 4.

Ceterum Regno *Minerali* adſcribuntur foſſilia, terrae ſcil. lapidesque, ſalia, metalla, et philogiſta mineralia, quae alii in duas ſolum claſſes redigunt, in quarum priore terras, in alia mineras collocant; vtraque tamen in ordines, genera, et ſpecies, earumque diuerſitatem

apte

apte diſponenda. Diſciplina, quae haec pertractat vocari ſolet *Mineralogia*. Hanc noſtra aetate multis augmentis locupletarunt viri doctiſſimi LINNAEVS, CRONSTEDT, WALLER, JVSTI, VOGLER, GERHARDI, et antea noſter, nunc Ticinenſis SCOPOLI. Plurima quoque hanc in rem collegit, atque erudite digeſſit, S. R. Imp. Eques, IGNATIVS A DORN.

§. 5.

Regnum *vegetabile* complectitur plantas, quas quidem non incommode diſpeſcueris in proprie ſic dictas plantas, et arbores: illarum ſcientia *Phytologia* ſeu *Botanica*: harum *Dendrologia* adpellatur. Multifaria haec ſyſtematice proponendi apud eruditos reperitur methodus, quam pluribus declarare noſtra parum intereſt. Conſulat interim, qui volet ſyſtemata Clariſſimorum hac in diſciplina Scriptorum RIVINI, RVPPII, TOURNEFORTII, JON-

STONIS, LINNAEI, 22 Claſſes conſtituentis, quarum primam Monandriam, vltimam Cryptogamiam dixit, et Jo. ANT. SCOPOLI, qui regnum hoc in 36 *tribus*, et has rurſus in diuerſas *gentes*, quas rurſum varie partitus eſt, deſcripſerat. Floras, ut *Dioſcoridem* vetuſtum auctorem praetercam, plurimi reliquerunt; ſic Suecicam LINNAEVS, Siberiae GMELIN, Auſtriacam JAQVIN, Carniolae SCOPOLI. — — Cel. ADANSONIVS numerauit 18000 plantas, Botanicis cognitas, ignotarum vero ſummam ad 25000 adſcendere exiſtimat.

§. 6.

Regnum tandem *animale*, in ſe continet *Homines*, *bruta animantia*, mammalia, ſeu lactantia dicta, *aves*, *amphibia*, *piſces*, *inſecta*, *vermes*. Vt ne haec diuiſio ſine fundamento eſſe videatur, notes, velim, animalium tam inter-

ternas, quam externas proprietates. Quod iam ad has attinet, *Animalia* ſunt vel *bipeda*, eaque, aut ſine alis, vt homo, Jocko, et Gibbon, aut alis inſtructa, vt aues, gallus, ciconia: vel *quadrupeda*, quae aut in ſola terra degunt, vt bos, ouis, leo, — aut in hac, et in aqua ſimul, quae amphibia dicuntur, ſicut lutra: — vel *apoda*, pedum expertia, quae pinnigera, *piſces* vocantur; caetera *vermes*. Quod vero internas proprietates concernit, *Mammalia*, ſiue *Viuipara*, vna cum *auibus*, *ouiparis* ſcil. habent cor biloculare, biauritumque; ſanguinem vero calidum et rubrum: *Amphibia*, et *piſces*, cor vniloculare, vniauritumque; ſanguinem frigidum, plerumque rubrum: *inſecta*, et *vermes*, cor prioribus ſimile; at pro ſanguine, frigidam, albidamque ſaniem. Praeterea *Homines*, *quadrupeda*, et *aues* quinque pollent ſenſibus; *piſces* et quaedam *amphibia*, auditu fors et guſtu

carent; certe *insecta* omnia vtroque sensu, vti et vermes; quorum praeterea pluri-mis visus quoque deesse perhibetur.

§. 7.

Eruditorum nonnulli eam animalium cunctorum rationem iniuere; vt constitue-rent genera sugentium, lactantiumque, siue illa domestica, siue fera fuerint ad 300; auium 2000; amphibiorum 700; pi-scium 2000; insectorum 15000; ver-mium 5000. Cl. ZIMMERMANNVS, in Pro-lusione Zoologiae suae, calculo §. 45. inito, maxima cum veritatis specie, ter-restia animalia ad 1800,000, aquatica ad 3600,000, omnium vero animalium sum-mam, in quinque millionibus, quadrin-gentisque millibus consistere autumat. Sed hic quoque valeat, quod LINNAEVS, Par-ti I. systematis sui prudenter subscripse-rat: *Ea, quae scimus, sunt pars minima eorum, quae ignoramus.*

§. 8.

§. 8.

De caetero notitia vermium, graeco vocabulo dicitur *Herminthologia*, quae eos diſtribuit in inteſtina, moluſca, teſtacea, lithophyta, et Zoophyta; inſectorum vero notitia *Entomologia*; piſcium *Ichthyologia*; in terra ſimul, et aqua viuentium *Amphibiologia*; auium, quarum genera ſunt accipitres, picae, anſeres, grallae, gallinae, et paſſeres, *Ornithologia*; animantium *Zoologia*, cuius LINNAEVS ordinem, dentium habita ratione, ſic diſpoſuit, vt conſtitueret, *primates*, *bruta*, *feras*, *beſtias*, *glires*, *pecora*, *belluas*, etc. Abſit, vt equidem, hanc animalia dignoſcendi improbem rationem: malui tamen ſimplicem illam, et vt puto, certiorem, tam a veteribus, quam recentioribus auctoribus vſitatam ſequi, vbi praeter dentes, pedum imprimis, caudae, et in quibusdam cornuum quoque habetur reſpectus. Hac itaque Zoologiam meam proponere conſti-

ſtitui methodo, vix, ſicut autumo, cuiquam, niſi ſupercilio nimium critico forſitan fuerit, diſplicitura.

§. 9.

De vtilitate Hiſtoriae naturalis nobili hac parte, non eſt, quod multa proferam, quando eandem fatentur plerique omnes. In religionis negotio, pulchre eius oſtendit vſum, praeter alios, CL. STVRMIVS. Id profecto dolendum, quod ea quidem patrum noſtrorum memoria, in Scholis, Academiisque, parum culta, immo fere penitus neglecta fuerit. Mirari haec nos tanto magis oportet, quo conſtat magis, veteres hiſtoriam animalium ſedula percoluiſſe opera. Quis etenim ignorat, vt Salomonem 1. Reg. 4. v. 33. inuoluam ſilentio, *Ariſtotelem* Philippi atque Alexandri, (hic 80 talenta, praeter feras rariores dederat) opibus adiutum, complurimis voluminibus hiſtoriam animalium complexum fuiſſe. Hunc

in

in compendium miserat, adiectis sua opera quibusdam C. PLINIVS, et hunc rursum SOLINVS, in suo Polyhistore. Post dein hos AELIANVS libros VI. confecit, de natura animalium, qui Londini an. 1744 eleganter impressi sunt. Saeculo postea XIII. ALBERTVS M. sex et viginti hac in materia scripserat libros. Renascentibus demum litteris melioribus, et nouo delecto orbe, singularem affudit lucem CONRAD. GESNERVS, Helueta, quem tamen, et industria, et iconum accuratione superasse censetur VLYSSES ALDROVANDVS, Bononiensis Physicus, et Medicus. Saec. XVII. Scriptor, quos eodem fere tempore secuti sunt GEORGIVS MARCGRAVIVS de Liebstadt, Jo. EVS. NIEREMBERGIVS, GASP. SCHOTTVS, et Io. RAJVS, Anglus, qui Synopsin methodicam animalium edidit, alii.


§. 10.

Praeclare hi quidem omnes de historia animalium meriti sunt: at huius tamen, multo clarius elucubratae gloria, nostro huic, quod viuimus, saeculo relicta esse videtur, quo vtpote studium hocce, sicu-

ti

ti in Gymnasiis Academiisque, magna cum diligentia, ac summa cum laude, et vtilitate proponitur; ita a Viris doctrina, et munerum dignitate clarissimis pertinaci excolitur industria. Immortalia hic sunt merita Caroli Linnaei, Equitis de Stella polari, Sueci; Ill. Buffonii, Galli, cuius opera, superiore anno, ex Gallico, in Latinum quoque idioma traducta sunt, et Lugduni Batauorum, cum animaduersionibus Cel. Allamandi edita; Thomae Pennanti, Angli; Alb. Sebae, Bataui; Phil. Lvdov. Mülleri, I. G. Schreberi, et Io. Chr. Polyc. Erxlebenii, Germanorum; Gabr. tandem Rzaczynsky, Poloni. Haud puduerit hic rursum fateri, nos Hungaros, hac in re hucdum fuisse parum solertes, nec, quae natura largiter impertita est, accurata diligentia perlustrasse. At nunc iam, et maior, ac olim, studiorum gustus, aemulatioque, et benignissimae regiae ordinationes, praeclarissima quaeque nos sperare iubent. Sed iam tandem ad rem ipsam.

ZOO-



ZOOLOGIAE

SECTIO I.

DE BIPEDIBVS.

§. 11.

Dum bipeda animalia hoc loco describere satago, illa solum intelligi volo, quae alis instructa non sunt. Atque horum iam praestantissimum HOMO habetur non immerito. Quamquam vero corpus huius in Physica, animam autem in Psychologia pertractari videas: e re tamen nostra fore putamus, si de homine, qui princeps est regni animalis, nonnulla interseruerimus.

§. 12.

Constat homo, vt notum est, anima rationali, et corpore organico. Illa est

Spi-

Spiritus, qui ſui, rerumque extra ſe poſitarum conſcientia pollet; qui in nobis intelligit, vult, videt, auditque, qui nos mouet et moderatur; in quo nihil mixtum, nihil concretum, nihil duplex; qui etſi videri non poteſt, tamen ex actionibus vis eius atque natura intelligitur. In cerebro, quod proximum, et commune eſt ſentiendi inſtrumentum, ſedem habere ſuam exiſtimatur. Hinc per oculos, aures, linguam — — adminicula quaſi, et vehicula ſui imperii, cuncta exſequitur, nec, vbi ſedem deſeruit, exſtinguitur. Facultates animae ſunt cognoſcendi, et appetendi. Vtraque ſuperior inferiorque. Quod ad priorem attinet, generis vtriusque, huc refer, facultatem ſentiendi, imaginandi, memoriam, et reminiſcentiam; intellectum dein, ingenium, iudicium et rationem. Facultas vero appetendi abſoluitur vti affectibus; ita voluntate, et quae hanc ſequitur, libertate. De commercio animae et corporis, de animabus item brutorum, diſputationem heic equidem, ne longus ſim, ſponte praetereo.

§. 13.

Quod itaque iam alteram hominis partem, corpus ſcil. concernit, illud quidem in caput, truncum, artusque diſpeſcitur optime; variis haec venis, arteriisque inter

ſe

ſe connexa, capitis vertex, capillorum molli tegitur velamine; in anteriore parte *vultus*, ſeu *facies* prominet, variis ornata membris. *Frons* primum occupauit locum, quae firmis oſſium munimentis, cerebrum, brutorum maius, vallauit, *temporibus* compreſſa. In medio ſiti ſunt *oculi*, lubrici, ac mobiles, quorum pupillis, non albugine, cernimus, palpebris nictitantibus, ciliis non tantum, ſed et ſuperciliis muniti. Infra oculorum lumina viſuntur *malae*, ſeu *genae*, timoris pariter, ac pudoris indices; inter quas caeteris membris altius eminet *naſus*, duos meatus habens, ſepto partim oſſeo, partim cartilagineo diremtos: his aërem haurimus, remittimusque; cerebri excretiones eiicimus, percipimusque odores. Sub naribus eſt *os*, labio ſuperiore, lacuna exarato, et inferiore inſtructum, quod *maxillarum* ope, et motu iam aperitur, iam clauditur, *mento* vero fulcitur, quod apud mares barbatum eſt, cum labio ſuperiore. In *bucca*, quam pro concauitate oris accipimus, ſita eſt *lingua*, mirabile vocis articulatae inſtrumentum. Ambiunt hanc *dentes*, in *inciſores*, (quatuor vtrinque) laniarios (caninos) et molares diuiſi; omnes plus minus 32. Ab vtroque faciei latere prominent *aures*, ad ſonum recipiendum, ex cartilagine, in ſemi circuli formam, circumactae, inae-

qualiter cauatae, et flexuosae, quarum visco, quod irrumpere vellet, adhaeret.

§. 14.

Hactenus de capite. Hoc iam cum trunco, de quo agendum, iungit *collum*, cuius anterior pars *gula*, seu *aesophagus*, (fauces) vocatur, posterior *ceruix*, seu *iugulum*, ossibus arcte concatenatis, et ad vertendum aptis, constans. Per collum a linguae radicibus, vsque ad pulmones, spirandi officinam, pertinet *arteria aspera*, cuius primus aditus in tenuem constringitur rimulam operculo tectam. Trunci pars antica, thoracem, pectus, cum duabus mammis, et abdomen, cum vmbilico, et genitalibus complectitur; postica dorsum, tergo instructum planiusculo, humeris, scapulis exstantibus, cum axillis concauis, et coxendice. Intra, de quo agimus, truncum, deprehenditur imprimis *cor*, structura ad contrahendum se, dilatandumque (intra horam ad 4000 claudi, et aperiri creditur) et sanguinem transmittendum (spatio vnius horae decies et octies) praeditum, *pulmonumque* complexu munitum; deprehenditur porro *venter*, in quo conspexeris ventriculum, qui a stomacho, diaphragmate, quod est musculosa, et crassa membrana, transeunte depulsum, cibum accipit, et concoquit; *intestina*, in quae con-

consumptus cibus egeritur, vel ad fovendum vel ad exonerandum (primum vocant *duo denum*) et *iecur*, officinam bilis. Extra ventrem, circa lumbos haerent *lien*, et *renes*. Haec de trunco.

§. 15.

Artus absoluunt *manus*, brachiis iunctae, et *pedes*, tanquam fulcra corporis. Manuum partes sunt cubitus, pugnus, vel palma, vola: instructa de caetero est quinque digitis, si naturae spectes ordinem. Atque hi quidem singulos suos habent vngues; ex quibus quaterni tres habent articulos, pollex duos. Huic iam, qui a reliquis non nihil distat, minimus mensura par est, duo reliqui sibi, medius ante alios prominet. Pedes vero constant *femoribus*, *lumbis* musculosis, gibbis, carnosisque *natibus*; *cruribus* super haec ad genua, cochlea instructa protensis; *sura* tandem, quae talis diuisa exit in plantam, calcaneis fultam, et digitos. Gressus firmatur proiectione calcis, quem digiti et prosequuntur, et alleuant, magno certe ad incedendum commodo.

§. 16.

Suffecerint haec ad habitum corporis humani mentisque declarandum. Superest, vt quantum homo ab aliis differat animalibus, et quae eius ante haec, sit

prærogatiua, ostendamus. Differt itaque homo ab animantibus reliquis *ratione*, qua caetera carent, *structura corporis* : quando, prae caeteris, erectus, et celsus incedat, vultum ab aliis habeat diuersum, faciem abdomini parallelam, nudam, pedes talis insistentes, cerebrum omnium maximum, caudam nullam.

Sed praerogatiua quoque hominis, ante alios est permagna. Patet id vel ex hactenus dictis, quibus adde, quod maximum et frigus, et aestum perpetitur; quod diuerso genere cibi, quem caetera animalia respuunt, vtitur; quodue reliquis viuit diutius. — —

§. 17.

Sed id quidem lacrymabile, quod opis alienae, inter quam plurimos, mage indigus nascitur, natura inermis, ad omnem fortunae contumeliam proiectus, quod vel prima vagitu declarata indicia produnt: nascitur a conceptione intra 274 dies, prius interdum, post partum ictero laborans, vario puber tempore. Non erit fors inutile, Plinii verba ex libro 7. cap. 1. adscribere, quae ita habent: *Principium iure tribuetur homini, cuius caussa videtur, cuncta alia genuisse natura. — — Haec tamen ante omnia vnum animantium cunctorum alienis velat opibus; caeteris varia tegumenta tribuit, testas, cortices, coria,*

ria, ſpinas, villos, ſetas, pilos, plumam, pennas, ſquamas, vellera. Truncos etiam arboresque cortice, interdum gemino, a frigoribus, et calore tutata eſt. Hominem tantum nudum, et in nuda humo, natali die abiicit, ad vagitus ſtatim, et ploratum, nullumque tot animalium, aliud ad lacrymas, et has protinus vitae principio. — — Ab hoc lucis rudimento, quae ne feras quidem inter nos genitas, vincula excipiunt, et omnium membrorum nexus: itaque feliciter natus iacet, manibus pedibusque devinctis, flens, animal caeteris imperaturum, et a ſuppliciis vitam auſpicatur, vnam tantum ob culpam, quia natum eſt. Heu dementiam! ab iis initiis exiſtimantium ad ſuperbiam ſe genitos. Prima roboris ſpes, primumque temporis munus, quadrupedi ſimilem facit. Quando homini inceſſus? quando vox? quando firmum cibis os? — Caetera ſentire naturam ſuam, alia pernicitatem vſurpare, alia praepetes volatus, alia vires, alia nare. Hominem nihil ſcire ſine doctrina, non fari, non ingredi, non veſci: breuiterque non aliud naturae, ſponte quam flere. — — Denique caetera animantia in ſuo genere probe degunt, — — leonum feritas inter ſe non dimicat, ſerpentum morſus non petit ſerpentes, ne maris quidem belluae, ac piſces, niſi in diuerſa genera, ſaeuiunt, — — et homini plurima ex homine ſunt mala.

§. 18.

Quibus homines inter ſe diſtinguuntur, vt animi praeteream indolem, eſt vultus, ſtaturae, atque coloris diuerſitas. Sunt enim pigmaei naniquę; ſunt quatuor pedum vt Grönlandi, Lappones; ſunt mediocris ſtaturae, quorum maxima reperitur multitudo; ſunt denique prae caeteris eximia proceritate, quales Patagones, aliique eſſe perhibentur; tametſi gigantum quoque de genere ſati, hodieque interdum viſuntur. Horrido feruntur eſſe vultu Lappones, nec tamen ad Tartarorum Aethiopumque accederę deformitatem: pulchriores caeteris Europaei, Circaſſi, Mingrelii, Georgiani. — — Vt haec varietas, quae ab aëris, frigoris item, et caloris temperie — — prouenit, tanto clarius intelligatur, notator, velim, homo:

1. *Europaeus Lappo*, ſtatura, vt dixi, humilis, oculis ſolito profundioribus, iisque paruis, et nigris, maxilla prominente, ore, labiis, et auribus magnis, capillo recto, craſſiore.

2. *H. Aſiaticus*, mediocris, vt plurimum luridus, caetera pinguis, et corpulentus (Chinenſis vir, capite magno, foemina pedibus paruis) melancholicus partim, partim ſanguineus, qui veſtimentis tegitur laxis, regitur vero opinione.

3. *H. Afer*, magnus, et cute nigra, naſo ſimo, labiis tumidis, ventre inflato protuberante; foeminae vberibus ita prolixis, in tergus vt extendi poſſint. Africani de caetero ſunt, maxima ex parte, phlegmatici, ſegnes, vafri tamen; amant vngi, et reguntur arbitrio.

4. *H. Americanus*, vt Europae coloni, mediocris, fronte parua, naſo aquilino, oculis nigris, naribus patulis: vt hilaris interdum, at pertinax; faciem pingit lineis dedalaeis rubris, auitarum tenax conſuetudinum.

5. *Hottentotti* monorchides, hi, aliique feri Americae populi anthropophagi, qui et humana veſcuntur carne.

6. *Hermaphroditi*, Floridae num ſint fabuloſi, definire non auſim; certe in Hungaria noſtra identidem huiuscemodi duplici genere homines reperiri, peruulgatum eſt.

7. *Homines* reperiri Sylueſtres, ab vrſis, et lupis educatos, quorum, et ambulandi, et vorandi mores imitari conſpiciebantur. De mare, et foemina feris, quorum ille an. 1708. in Siluis ad Poſonium, haec an. 1722. apud Szolnokinum inuenta fuiſſe dicitur, meminit *Cl. Mich. Kleinius* in ſuis memorabilibus Hung. p. 16.

8. *Homo troglodytes*, vulgo *Leucaethiops*, quem Africani *Dondos*, Lusitani *Albinos*, quasi album Aethiopem diceres, vocant, statura parua, cute holoserica, vel squammosa, in tenebris videt, vt felis. Ad hunc prope accedit *Aethiops maculatus*.

9. *Homo lunaticus*, morbidus, qui somnians ambulat, et saepe domuum cacumina, turresque inaccessas conscendit, sibi minus conscius. Reperitur in nostra quoque Hungaria.

§. 19.

Graecam redolent fabellam, quae C. Plinivs Hist. nat. l. 7. ex Isigono Nicaensi perhibet, gigni scil. in Albania quosdam glauca oculorum acie, a pueritia statim canos, qui noctu plus, quam interdiu cernant; in Triballis, et Illyriis fuisse, qui visu quoque effascinent, interimantque, quos diutius intueantur, iratis præcipue oculis: de Androgynis item, ex *Calliphane*, esse scil. eos vtriusque naturae, inter se vicibus coëuntes; ex *Megasthene*, de hominibus, auersis plantis, octonos digitos in singulis pedibus habentibus, (nisi monstra sint) ex *Ctesia*, de Monoscelis, qui singulis cruribus, mirae pernicitatis ad saltum forent, quique in maiore aestu, humi iacentes, resupini, vmbra se pedis protegerent; de Arimaspis

ſpis, vno oculo in fronte media inſignibus: tandem naſci alibi homines cauda villoſa, pernicitatis ſtupendae; alios auribus totos contegi.

§. 20.

Ad hominis ſimilitudinem proxime accedunt, ex ſimiarum genere.

1. *Semihomo*, ſeu *Homo ſylveſtris*, (Orang-Outang Indis, Germanis, der Waldmenſch dictus) an veterum ſit *Satyrus*, dubito: ſiquidem cauda caret; illi vero, vt conſtat, attribuitur. Quidquid huius ſit: certe animal hoc cum beſtiis hominem proxime coniungit, et, vt Cl. Zimmermannvs loquitur, *in catena, qua rerum mater, natura, omnia inter ſe copulauit, medius quaſi annulus eſt.* Varietate attamen membrorum, ne quid de ratione, cuius hic expers eſt, dicam, multum ab homine differt. Incedit quidem erectus bipes: at caput habet craſſius, et rotundius, ſuperciliorum loco, ſeriem transuerſam pilorum, naſum exigue prominentem, os latius, et a naribus remotius, margine hirto; auriculas, et digitos in pedibus longiores. Habitat in Loango, Bengala, Sumatra, Iaua. — — Victitat fructibus, pernoctat perſaepe intra ramos arborum; et cum ſingulari gaudeat agilitate, facile ſe lapidibus,

et quidquid his ſimile arripit, contra hoſtes defendit. Amat quidem calefieri ad ignem, ſed eundem alere ignorat: quamquam ligna ſecare, et alia huiuscemodi miniſteria praeſtare, ſi doceatur, poteſt. Binae *Orang-Outang* ſunt ſpecies, quarum:

a) *Pongo* vocatur, eadem cum homine proceriori magnitudine, et craſſitie.

b) *Iocko*, ſiue *Eniocko*, (der kleine Waldmenſch), cuius ſtatura vix ad trium pedum altitudinem exſurgit; priore itaque multo humilior.

2. *Longimanus*, *Gibbon*, praefert quidem ſpeciem hominis, multum tamen ab eo recedit, qua manuum longitudine, quae ad talos vſque propendent eo modo, vt licet tetrapus incedat; tamen greſſus videatur erecto, ſed incuruatiore fieri corpore; qua oculorum profunditate, et magnitudine; qua tandem coxendicis piloſo tegumento. Magnitudine, vt prior, variat: caetera mitis, ſegnis, frigoris, et pluuiae impatiens. Habitat in Coromandel, et Molucca. De ſimiis agemus infra, quibus adnumeratur.



SE-




SECTIO II.

DE QVADRVPEDIBVS.

§. 21.

Hactenus de bipedibus: iam quadrupeda, quoad eius fieri poterit, planissime exponamus animalia. Horum duo genera, si pedes intueamur, animaduertimus. Alia enim habent vngulas, alia digitos, vnguibus munitos. Illa *cornipeda*, minus latine *vngulata* vocantur; haec *digitata*. Vtraque rursus in diuersas abeunt species. Vngulata enim vel sunt *solidipeda*, quae non fissas, sed solidas habent vngulas; vel *bifida*, seu bisulca; vel *trisulca*, vel *quadrifida*, vel denique, quae *vngulas in quinque partes* habent fissas: haec dixeris *quinquifida*. Digitata vero ostendunt, iam *binos*, iam *ternos*, iam *quaternos* digitos, imo et *quinos*, graece *Didactyla*, *Tridactyla*, — — adpellata. Separanda hinc, quae vel *digitos* nacta sunt *indiuisos*, vt castor, et lutra; vel *pedes informes*, vt phoca. Atque singula haec iam nos partite proponemus. Aget itaque



CA-

CAPVT I.

DE ANIMALIBVS VNGVLATIS.

Inter animalia vngulata, principe loco ponuntur *solidipeda*, quorum ſunt:

1. *Equus*, *Caballus*, *Sonipes*, das Pferd, Ló, Kún; *Equa*, die Stutte, Kantza, Kobyla; *Admiſſarius*, der Hengſt, Ménló, Waycſiak; *Caſtratus*, der Wallach, Herélt-ló, Paripa; *Pullus*, hinnulum noſtri vocant, das Füllen, Tſikó, Konjcſe, ſeu 'Zriebe. Equo dentes primores ſunt ſex. Is optimus iudicatur, ſi conſtat capite non magno, oculis hilaribus, nigris, naribus apertis, arrectis, breuibus auriculis, ceruice molliter lata, nec longa, iuba denſa, ad dextram reiecta, pectore lato, ſpina duplici ſubinclinata, lateribus inflexis, ventre ſubſtricto, lumbis latis, et ſubſidentibus, cauda longa ſetoſa, criſpa, cruribus aequalibus, genu tereti paruo, vngulis altis, et rotundis, corpore denique ſublimiore, et erecto. Animal eſt generoſum, ſi bene alatur; docile, ſordium impatiens, curſu celer, et ad humanae commoda vitae perutile: ſiquidem eo vehimur, portamus onera, aramus, belligeramus, ſeruimus denique voluptati. Proſunt exuuiae quoque, crines, caudae in-

inprimis, et adeps, ex quo oleum, pro lucernis paratur. Sunt etiam, qui carnibus equorum, pro efca vtuntur, lacte, pro potu, interdum et inebriante, fi praeparetur, vt in Siberia. Pugnat et calcibus, quas remittit, et dentibus. Indomitorum greges in Hungaria, praecipue ad Tibifcum, paffim deprehenderis.

Sunt interim generofi imprimis Anglici, magni Bohemici, durabiles Danici, Corficani humiles, celeres Hungarici, cum Tartaricis, difcolores Indiani, pretiofiffimi Arabici, ex genere Koechlanorum, quorum vnus faepe mille venditur Philippicis. Vetuftatis enim hi laude, ab equaria vtpote Salomonis, fide publica deducti, velocitatis item, et caritate in feffores, quos eximie defendunt, ante plerosque omnes, vel Niebuhrio auctore, excellere perhibentur.

Si coloris habeas rationem, in Hungaria vifitur equus candidus, ater, *ein Rapp*, puniceus, feu baius, *braun*, giluus, *falb*, fcutulatus, *Apfelfchimmel*, rufus, *ein Fuchs*. — Equi a plerisque omnibus, quos tamen Americani ignorabant olim, magni funt habiti femper; nonnulli infano prorfus amore erga eos ducebantur. Sic Alexander M. fui in honorem Bucephali vrbem ex-

exstruxerat cognominem: Caesar marmoream effigiem equo suo posuit: Antonius Verus aureum simulacrum: Poppea Sabina, Neronis vxor, soleis aureis suos muniebat.

In reliquo ad genus equorum, de quorum aetate ex dentibus, et situ oculorum, inter alia iudicandum, referri videas Asinum, Mulum, & cum Zebra, Onagrum. Vt hoc quidem haud inficiemur, describemus tamen haec animalia separatim. Sit itaque inter Solidipeda

2. *Asinus*, der Esel, Szamár, Osel; *Asina*, die Eselinn, Szamár-Kantza, Oslice, dimidia Equi magnitudine, colore murino, linea dorsali, et scapularum nigra, vt crucis formam gerere videatur, capite grandiore, iuba breui, at auribus tanto longioribus, flaccidis, cauda tantum in extremitate pilosa, sono turpiter rudente. Animal tardum quidem, et stupidum, ad onera tamen portanda idoneum, laboriosum, vili opera alendum; quum vel stipulis, carduis, et spinis facile saturetur. Lac phtisi, seu tabi medetur; caro a multis editur: ex pelle diuersa coriorum genera parantur. Parit intra totidem, vt equa, 290 scil. dies, aetatem vix vltra 30 annos producit, gignit ad extremam aetatem, foetum suum tantopere

re

re amat, vt, etsi ignem, et aquam vehementer timet, tamen nec his, quin pullo periclitanti opem ferat, terretur impediturque.

Habentur praeter domesticos, quorum Arabici sunt maximi, et celerrimi, feri etiam, quos *Onagros*, seu Asinos syluestres vocant, fascia, vtplurimum dilute lutea, per dorsum procedente. Id profecto ridiculum, quod a Madaurae incolis tanti aestimentur, vt solas nobilium vita functorum animas, nullas vero plebeiorum, in eosdem transferri, et ab his animari credant.

3. *Mulus*, hybridum animal, ex asino, et equa, der Maulesel, Öszvér, Mezek, seu Mulice, (ex equo, et asina *Hinnus* vocatur) equo minor, maior asino, ad portanda onera aptus; sed vafer: ideo fiscella indiget. Narrat Aelianvs de mulo saccos sale repletos portante, cum per flumen ipsi esset transeundum, et sal madefieret, ipseque sentiret ex madefactione, et resolutione salis, onera fieri leuiora, sequentibus diebus totum sese mersisse aquis: verum, posteaquam Thales iusserat saccos repleri spongiis, et mulus grauiores easdem aquis fieri animaduertit, nunquam deinde, vbi salis habebat sarcinam, vndae sese immerserat.

4. *Zebra*, *Zecora*, si formam corporis ad-

adſpicias, *Mulum* dixeris *Africanum.* Mira ſupra genus ſuum, gaudet celeritate, et pulchritudine, cum ſit ex badio, et flauo, diſcolor, faſciis nigris digitos tres latis, per totum corpus transuerſis: qua ex re Germanis der geſtreifte Eſel, vocatur. Id fidem ſuperare videtur, dum perhibent multi, ob tales dotes, beſtiam hanc in ipſa Africa, plus minus 1400 aureis aeſtimari.

5. *Vacca Arabica*, ex genere camelorum, dum cumbit, et ſurgit, poſticos bifariam flectit pedes; in dorſi latere vno, pulvinaris inſtar, pinnam ad natandum habet. Viſa anno ſuperiore in Hungaria quoque.

6. *Sus*, quem Ariſtoteles olim in Poeonia ſolidipedem, PLINIVS in Illyrico, et LINNAEVS ad Vpſaliam detexerunt. In Hungaria paſſim inueniuntur, cumprimis in Neogradienſi prouincia. Ludicrum eſt de Cinobanenſibus prouerbium.

§. 23.

Animalia bifida, ſeu biſulca, ſunt vel cornuta, ſiue cornigera, vel non cornuta, vt ſunt oues plurimae, et caprae. Cornuta rurſus diuidi ſolent in ea, quae cornibus armata ſunt concauis, ſimplicibus, et laeuibus, vt bos, vrus, bu-

ba-

balus; vel, quae cornua gerunt solida, ramosa, atque rugosa, sicut ceruus, dama, alces. Equidem tametsi pedum maxime, in discernendis animalibus, rationem habendam institui: ne tamen iusto longior §phus excrescat; et vt clarius cuncta in oculos incidant, cornuum quoque differentiam hoc loco obseruare vtile esse duxi. Sint itaque

§. 24.

Animalia bifida cornibus concauis simplicibus prædita, quorum est:

1. *Bos.* Dentes superiores habet nullos, inferiores 8, laniarios itidem nullos. Qui castratus non est, vocatur vulgo *Taurus*, der Stier, Bika, Byk, euiratus, Bos proprie, der Ochs, Ökör, Wúl; foemina *Vacca*, die Kuh, Tehény, Krawa, iunior *Juuenca*, die junge Kuh, Tinócska, Jalowice; bos iunior *Iuvencus*, der junge Ochs, Tino, Tulok, Juniec; pullus *Vitulus*, das Kalb, Borjú, Tela. *Species* boum sunt:

a) *Bos domesticus*, mansuetus, colore et magnitudine, pro regionum, aeris, et pabuli diuersitate varius. Helvetici, et Anglici (nonnulli cornibus carent) cum Polonicis, colore vt plurimum nigro, et ruso; Hungarici, qui sunt grisei, et subfusci, pulcerrimi, & forma corporis, & cornuum lunatorum

C exi-

eximia proceritate. Animal eſt robuſtum, laborioſum (huius noſtri collo, Germani cornibus iugum imponunt) ſociale deſiderium conſuetudinis mugitu oſtendens, ac inter plurima vtile: quando multas peragit operas, cutem præbet bonam, carnem ſapidam, ſebum pro luce, fimo agri, horti, vineaeque foecundantur, Tibiſcani eo, vbi toſtum in fruſta conſciderunt, pro lignis vtuntur; cornua varios fabricantur in vſus; pilis explentur culcitrae, ſellae; praeſertim vaccae dant lactis affatim, ex quo butyrum, caſeus, ſerumque efficitur.

De bubus haec potiſſimum præcipiunt rei ruſticae ſcriptores: Parandi ſunt boues nouelli, quadrati, grandibus membris, cornibus proceris, nigricantibus & robuſtis, fronte lata, & criſpa, hirtis auribus, oculis, et labris nigris, naribus reſimis, patulisque, ceruice longa, et toroſa, palearibus amplis, et pene ad genua promiſſis, pectore magno, armis vaſtis, lumbis latis, dorſo recto, planoque, vel etiam ſubſidente, clunibus rotundis, cruribus compactis, et rectis, ſed breuioribus potius, quam longis, nec genibus improbis, vngulis magnis, caudis longiſſimis ſetoſis piloſisque, corpore denſo, ac breui, tactu corporis molliſſimo. De

De Tauris vero ita Plinius: *His* inquit *minora quam bubus cornua — in aspectu generositas, torua fronte, cornibus in procinctu dimicationem poscentibus. Sed tota comminatio prioribus in pedibus stat, ira gliscente alternos replicans, spargensque in altum arenam, et solius animalium eo stimulo ardescens.* Caeterum vita foeminis, 15 annis longissima, maribus 20. Pariunt (sed raro gemellos) mense decimo; quicquid ante genitum, inutile est. Pascua paludosa generi huic, aquae stagnantes, folia quercina, herbae item vere ineunte, rore adhuc madescentes nocere docuit experientia.

b) *Bos ferus* syluestris, *Vrus*, der Auerochs, Vad-Ökör, Wúl diwoky, maior, vt cuncta siluestria, ob libertatem, auram, & pascua, domestico, capite superne tam lato, vt intra cornua duo viri sedere possint, velocitate ingenti, pondere ad 19. centenarios, cum maximus bos Hungaricus vix octo superet. Referri huc solet

A) *Bonasus.* Differt tamen ab Vro, vti corpore tumidiore: ita non modo iuba equinae simili, frontisque pilis longissimis; sed etiam cornibus, sic in se inflexis, vt non sint vtilia pugnae. Inter caetera nihilo secius, ad se se defendendum,

vtitur eiectis, in aliquot passus profluuio citi ventris excrementis, quorum ardor, pulsu incensus, quid quid attigerit, exurit.

B) *Bison*, tauro maiori proceritate par; fronte, mento, collo & pectore, nimium villosus, tuberante dorso, hyeme hirsutus toto in corpore, aestate, parte postica nudus, vt leo; amat loca vliginosa borealia.

C) *Bos Indicus*, Zebu, vitulo semestri vix maior, (quamuis bubus Indicis camelorum altitudinem traditam esse aiat PLINIUS, cornua in latitudinem quaternorum pedum) equina tamen velocitate, cornibus aure breuioribus, dorso gibbo, versicolor, iuba nulla.

D) *Bos Grunniens*, Asiaticus similis tauro, at dorso eleuatiore, pilis hircinis, ad genua vsque propendentibus, cauda equina, niger totus, si caput, spinam dorsi, & pedes exceperis posteriores. Non mugit, sed grunnit suis instar, inde, & nomen indeptus.

E) *Bos bubalis*, der Büffel, Bial, Biwol, boue crassior, robustiorque, cornibus in dorsum aduncis, cute crassa, colore nigro. Bubalos inter, atque boues, ea est naturalis quaedam discordia, ut vel foetum ode-

oderint. Rubrum ferre nequeunt colorem, nisi adsuefacti; aquas ita amant, vt vel curru iuncti eisdem se se immergant. Interim & ab ipsis molossis ad operas, ex siluis compelluntur; præsertim in Italia.

II. *Ouis*, prædita dentibus primoribus, superiore in parte nullis, in inferiore 8; caret quoque laniariis; mammas tamen, vt vacca inguinales habet duas. Qui excisus non est, vocatur *Aries*, seu *Caper*, der Widder, Kos, Berán castratus *Vervex*, der Schöps, Örü, Schkopec, foemina *Ouis*, das Schaf, Juh, Owce; pullus *Agnus*, das Lamm, Bárány, Beránek, vel *Agna*. Haec bidens multo notior est, quam vt pluribus describi verbis debeat. Timidum itidem esse animal, ignorat nemo, sed vtile quoque: quando foetu, lana, cute, lacte, carne, iliis, ex quibus chordae parantur, et fimo hominibus plurimum emolumenti adfert.

Duo genera apud Hungaros ouilli generis reperiuntur, molle scil. & hirsutum: illud montosis in locis; hoc (Ouis strepsiceros, Magyar-Juh) in planis optime pascit.

Super haec commemoranda ovis:

a) *Anglica*, proceritatis magnæ, lanaque molli.

b) *Hispanica*, quae molliorem vel priore copiosioremque habet lanam.
c) *Polycerata*, Islandica, quatuor, rarius sex cornibus, lana rudiore, qualis & in Hung. deprehenditur.
d) *Lati* - et *Longicaudata*, illa saepe numero sex cornis, et cauda 30, vel etiam 40 librarum; haec ad tres pedes longa cauda, cui subinde teretia ligna, quominus laedatur, subligari dicuntur. Oues huiuscemodi, in Arabia imprimis, et Perside habitant.
e) *Argalis*, seu *Ammon*, *Aries ferus*, vitulina magnitudine; cornibus altis, pondere ad 40 librarum, pilis exiguis, griseis aestate, hyeme variantibus, vere ineunte deciduis, celer, ferox, vt interdum vix a 10. viris coerceatur, carne sapida. Habitat in borealibus regionibus, celsisque Europae montibus. Hanc tamen nonnulli, caprarum generi, de quo iam iam agemus, solent adscribere.

III. *Capra*. Mas dicitur *Hircus*, der Bock, seu Ziegenbock, Ketske - Bak, Czap, seu Kozel; foemina *Capra* proprie die Ziege, Ketske, Koza (iuuenca, *capella*) pullus *hoedus*, das Kitzchen, Gödölye, Kozlia. Paribus est cum oue dentibus, cuius e mento pendet villus, quem aruncum vocant, ex gutture

vero

vero papillae, quae verucae adpellantur. Cornua gerit repanda, vtut ecornes quoque reperiantur plurimae capræ, pilos pro lana, eosque versicolores. Pecus alacre, petulans, infidum, ouium tamen, hominisque amans, (dux gregis) ac inprimis vtile, pilis, cute, lacte, carne; sed arboribus infestum, quando corticibus, ramulis, frondibusque, maxime delectatur. Locos amat montosos, et vel praecipites perrat. Capra Angarensis nostras anteit praestantia lanae, vtpote quae ad pedes vsque propendet, niuea, splendens, mollissima, serico similis. Sed Syriae quoque, Persidis, atque Asiae minoris prouinciae capras alunt, quarum pili, pro camelinis veneunt.

Ad Caprarum genus pertinet:

a) *Ibex*, (Capricornus, ab Ibice cornibus minoribus differre videtur) der Steinbock, Vad-Kos, Divy-Kozel, hirco maior, oculis paruis splendendibus, cornibus vastis, (pondo ad duo de viginti) pro varietate aetatis nodosis, atque retrorsum reclinatis, quibus se fulcit, eleuatque, colore fuluo, in dorso colore nigricante. Tanta huic pernicitas inesse perhibetur, vt voragines 10 orgyas latas, facile transiliat; sed tanta quoque ferocia, vt, vbi ineuitabile vi-

det periculum, venatorem adsiliendo sternat. Altissimos montium vertices, quo ne rupicaprae quidem pertingunt, incolit. In Carpato reperiri dicitur.

b) *Aegagirus*, qui saepe cum Ibice, et Capricorno confundi solet, hirco est maior aliquanto; minor tamen Ibice, capite caprino, nigro partim, partim ruffescente, corpore ceruino, colore maxime cinereo, cauda fusca, cornibus magnis (foemina paruis, aut nullis) et arcuatis, parum diuergentibus.

c) *Rupicapra*, *Caprea*, die Gemse, Havasi-Ketske, diwa Koza, maior vulgari, cruribusque longioribus, capite et collo albis, corpore subfusco, dorso linea nigricante, cornibus nigris teretibus, ad apicem laeuibus, et uncinatis, mento imberbi (ea propter ab aliquibus, ad Antilopum genus transferri solet) sed genibus barbatis, cauda breui. Amat rupes maxime, in quibus pedibus contractis stare solet. Hinc illud *Martialis*:

„Pendentem summa capream de rupe videres, Casuram speres" — — Victus fere idem, qui nostratium, at maior celeritas, et visus, auditusque praestantia. — —

d) *An-*

d) *Antilope*, caprarum exoticarum ſpecies, quam tamen, velut per transennam, attigiſſe iuuabit. Hic proin notator:

a) *Capra Mambrica*, Syriae, cuius aures ea ſunt longitudine, vt ſaepe ad terram uſque propendeant.

b) *C. Leucophaca*, ſic dicta a Pennanto, Palaſio, aliis, germ. der himmelblaue Africaniſche Bock.

c) *Gazella Indica*, ſeu recticornis, *Cryx*, *Antilope*, *ſcripta*, *grimmia*, *regia*, *albi-pes*, *redunca*, *kevella*, *ſcythica*, *corinna*, *tragocamelus*, *cerui-capra*, *dorcas*, *pygargus*. Vid. *Jo. Chr. Pol. Erxleben* Syſtem. Regni animalis. p. 271. ſeqq. et P. S. *Pallas* Spicil. Zoolog. Faſcic. 12.

IV. *Camelopardus*, ſeu *Camelopardalis*, Giraffa, Plinio, *Ouis fera*, & ſi hunc quidem audias, collo ſimilis equo, (certe multo longiore) pedibus, et cruribus boui, camelo capite, albis maculis rutilum colorem diſtinguentibus. At iuuerit heic VLYSSEM ALDROVANDINVM, qui in vrbe Cayratres viderat Giraffas, hoc animal deſcribentem ſequi. Is iam, *Duo huic*, inquit, *ex fronte eminent cornua*, *ſex circiter digitos longa*, *cylindrica*, *baſi craſſiora*, *verſus apicem tenuia*, *undique piloſa*. *Caput eſt oblongum*, *prominens*, *labium ſuperius infe-*

riore crassius, lingua terete, et iusto longiore. Collum iuba ornatum. Pedes antici, altero posticis maiores, vtpote hi 9. illi 17. pedes alti. Formam hinc corporis aestimare licet, quae interim, si colorem respicias, est elegantissima; cum sit ex maculis fuscis, et ferrugineis variegatus, palmari latitudine: dorsum tamen, a cauda ad summum capitis verticem, admodum tecti fastigiati, sensim adtollitur. Ruminat bouis instar, cum quo & pabulo vtitur simili, nisi quod foliis, frondibusque arborum, quas altiores etiam decerpit, delectetur magis; gramen diuaricatis anterioribus pedibus, qui longi sunt admodum, depascitur. Incedit diuerso, ac caetera quadrupedia, modo; siquidem iam dextrum vtrumque pedem, movet simul, iam sinistrum toto cum latere. Habitat in Aethiopia, et Aegypto.

§. 25.

Animalia bisulca, cornibus solidis, iisque ramosis; in quibus est,

Ceruus, dentibus quidem, vngulis fissis, & mammis inquinalibus, ab oue haud discrepat: at profecto corporis habitu, pilis, ac imprimis cornibus. Vt Camelopardalim, de quo nunc disserui, praeteream, *species* huis generis esse perhibentur.

1) C.

1) C. *Alces*, das Elendthier, Javor, Los. Ea hic eſt, qua equus magnitudine, oculis paruis, vaſtis, at cornibus, ab imo ad ſummum palmatis, ponderoſisque (foeminae mutilae) latis item naribus, labiisque craſſis (qua de cauſa retrograditur paſcendo) ſed collo breui, iuba dorſali ornato, cauda breui, colore ferme griſeo, quamvis pro anni viciſſitudinibus mutetur, vt plurimum diuerſe. Crura eundem ſine nodis, et articulis habere, vt ſuffragines flecti nequirent, veteres animoſius, quam verius, adſertum ibant. Dubitari non poteſt, valere eundem curſu maxime, vt per diem plus ſpatii conficiat, quam equus triduum intra; et ſe ſe calcibus magis, quam cornibus, quae amittit quotannis, defendere. Vngulae animalis huius raſae perhibentur mederi paroxiſmis epilepticis infantulorum. Quod reliquum eſt, voce vtitur admodum flebili, infanti, qui vagire ſolet, ſimili, inde exortum nomen germanicum. Fugit loca nimium calida, frigidaque.

2) C. *Elaphus*, vulgari nomine *Ceruus*, der Hirſch, Szarvas, Jelen, equi minoris magnitudine, capite oblongiore, oculis, et auribus maiusculis, foſſa lacrymali ante oculos, cornibus

ramosis, quae amittit quotannis, vere ineunte, eaque vt potest optime, recondit, interea haeret clam, quasi pudibundus. Castrato, si habuit, decidunt nunquam, si eis carebat, non crescunt. Foemina, vt plurimum, mutila. Collum, et crura habet gracilia, colorem subfuscum, cinereumque, circa ventrem albicantem. Animal simplex, timidum, nisi, dum oestro furit, vbi corriuales non tantum, sed et obuios sibi homines prosternit humi. Innatum ei est odium in serpentes, quos anhelitu saepe ex foraminibus extrahit, conculcat, vel devorat, siti postea agitatus, fontes aquarum quaerit. Immo, si vel cornu accendas, fugaueris serpentes, tanta vis est antipathiae. Senectus ceruina 100 scil. ann. fabulosa, cum vltra 30 annos vix superet; parit intra 8. menses, raro gemellos. Habitat passim in Hungaria etiam, cuius carnem sapidam, cutem pernecessariam, ac vtilem, sciunt plerique omnes. Caeterum maria cerui tranant gregatim nantes, vt Plinius scribit, porrecto ordine, et capita imponentes praecedentium clunibus, vicibusque ad terga redeuntes. Ad varietatem Elaphi pertinet *Hippelaphus*, seu *Tragelaphus*, der Brandhirsch, in Bohe-

Bohemia obuius, *Corsicanus* item, minimus sui generis (sine dubio ob soli sterilitatem) et fuscus; et *Canadensis*, cornibus amplissimis.

3. *C. Tarandus*, seu *Rangifer*, das Rennthier, Russis, Olen, in Lapponia frequentissimus. Crassior esse perhibetur ceruo, cornibusque longioribus, ac magis frondosis, naribus oblongis, colore, pro temporis vicissitudine variante, fusco scil. flavescente, et albo, oculorum tamen regione semper nigricante, ore albo, vngulis vero, vt Alces, crepitantibus; cauda breui, mammis quatuor, cum duabus spuriis. Nutritur, brumali præsertim tempore, lichene rangiferino, quem niue obductum, odore detegit, exquirit pedibus. Vtitur eo Lappo, vt nos equis, vaccis, ouibus; quando Tarandos suos, quorum greges alunt, iungunt trahis, eis vehuntur tanta celeritate, vt intra diem saepe, ad 30 milliaria emetiantur, lacte, et carne pascuntur, teguntur pelle, praeparant ex intestinis fila, ex cornibus instrumenta varia. Haec vel ideo notanda magis, quod existimant nonnulli, Hungaros cum Lapponibus eiusdem esse idiomatis originisque.

Cae-

Caeterum de hoc animali ita Plinius: „*Tarando magnitudo, quae bovi, caput maius ceruino, nec absimile: cornua ramosa, vngulae bifidae, villus magnitudine vrsorum.*"

4) *C. Dama*, Plinio *Platyceros*, der Damhirsch, Damvad, Srna, ceruo vulgari minor, cornibus summitate palmatis, colore fusco, rufo, et albo maculato. Foemina mutila. Eiusdem cum elapho et pabuli (vescitur enim gramine, corticibus et gemmis arborum) et vtilitatis. Id peculiare, quod nonnulli tradunt, intercedere damas inter certamen, quae licet gregariae viuant, in duas tamen turmas sponte sua se diuidunt, et subinde se se mutuo, duce gregis, dama validissima, impetunt, ac pro parte loci meliore pugnant. *Elem. Histor. Nat.* Bud.

5) *C. Capreolus*, seu *Caprea*, *Dorcas*. der Rehbock, (das Reh) Öz, Srna, priori suppar, cornibus ramosis, in summitate bifidis, pilis rufis, apicibus griseis, hyeme variantibus, dorso nigricante, ventre albiore. Incedit per siluas nostras, elapho frequentior, gregatim saepe, certe cum pullis. Vt damae *Axis*, ita capreolo similis esse videtur *Pygargus*, corni-

nibus trifurcis, cauda nulla, vellere altissimo.

§. 26.

Animalia bisulca non cornuta:

1. Sus, dentes habet primores superiores 4. inferiores 6. laniarios binos vtrinque, cum molaribus plus minus 42. rostrum truncantum et mobile, mammas abdominalcs caudam ad genua pendentem, nisi retorqueatur. Animal, si interna spectes, *Galeno* iudice, homini persimile, quin et sapore carnis. Huius species:

1) *Sus domesticus*, qui si non sit excisus, vocatur *Verres*, der Eber, seu Uhrbeer, Kan, castratus *Maialis*, der Pasch, Artány, Braw, foemina inprimis foeta, *Scrofa*, die Sau, Eme, (Kotza, Gönye) Swine (prasná), pullus *porcellus*, das Ferkel, (Spanferkel, si adhuc sugit) Malatz, Prase. Caput Suibus est oblongum, quod in rostrum obtusum, naribus rotundis perforatum desinit; aures jam minores mediocresque setaceae, iam maiores pendulae; oculi parui membrana nictitante clausi; dentes laniarii vtrinque prominentes, lunati, praesertim verri; collum breuius crassiusque; dorsum setis rigidusculis vestitum, corpus reliquum pilis crassioribus, iisque partim rectis, partim retor-

retortis, non vnius, apud omnes coloris. Nullum est fere pabuli genus, quod respuat, si vel sordidissimum sit, secus ac caetera animantia. Sus famis impatientissima adeo, vt, quando alia non potest, suum deuoret foetum. Pinguescit sexaginta diebus, sed magis tridui inedia, saginatione orsa, maxime autem, esca primum ex vrtica praeparata, tum glande, praecipue in syluis, polenta, hordeo, et turcico apud nos tritico. Hoc modo pinguescit tantopere, ut lardum (pinguedo est intra cutem, et carnem, huic generi propria) spitamae interdum superet latitudinem. Partus bis anno, tempus vtero 4. mensium, numerus foecunditatis ad vicenos, sed educare tam multos nequeunt. Obnoxium et hoc genus morbis. Ex humidiore esca, e. g. siliquis putrefactis, leguminibus — — contrahunt grandines (die Pfinnen, Trosky) in lingua maxime. Index suis inualidae, cruor in radice setae, dorso euulsae, caput obliquum incessu, struma, et sub lingua postulae. In luto volutatio generi grata: mundum nihilosecius amat cubile.

Iudaeis sues fuere exosi: apud Romanos abdomen, perna, sumen, et glandium, vt vel ex Plauto didiceris, fuere in deliciis, vt plerisque nostrum.

Cae-

Caeterum ſues frigidas non amant regiones: quo fit, vt in Lapponia, Islandia, Siberia — nullas deprehenderis. In Americam, ab Europaeis ſunt translatae. In Hungaria, Hiſpaniaque vituli magnitudine inueneris. Carne, lardo, adipe, ſetis, et pellibus, cumprimis, ſi deglubantur, perutiles.

2) *Sus ferus, Aper*, das Wildſchwein, Vadkan, diwoky Wepr, capite domeſtico longiore, roſtroque craſſiore, dentibus item maioribus ſetisque, quas in coeno ſeſe volutando, ita cuti, quam craſſam ſatis nactus eſt, adglutinat; vt haud difficulter, vel glande plumbea conſici poſſit. Colore gaudet ſubnigro; in denſioribus ſyluis paſſim obuius. Auditu excellit: venatores ſaepe, ni ſibi conſulant, vulnerat: contra lupos pugnat, dorſo arbori innixus, auxilium ſociis, dum cognoverint, ferentibus.

3) *Sus Babyruſſa*, cerui altitudine, cruribus oblongis, cauda longa, apice floccoſa, vt ſuilla, colore fuſco, dentibus duobus, per ſuperiorem maxillam, tam alte prominentibus, et ſic incuruatis, vt cornua putares: inde nata fabula, de ſue cornuto. Habitat in quibusdam inſulis Indiae Orientalis, diciturque incedere gregatim, victitare herbis, foliisque arborum,

natare optime vrinarique, et dentibus innixus quiescere in ramis arborum.

4) *Sus americanus, Tajassu,* caret cauda; setis vero longis, et rigidioribus, vt fere sunt Erinaceorum, gaudet: Aethiopicus gerit saccum mollem, sub oculis: *Sinensis*, omnium minimus.

II. *Moschus.* Dentes huic inferiores 8. superiores nulli, exserti laniarii, seu canini, mammae inguinales, cauda breuissima. *Species:*

1) *Moschiferus*, das Biesemthier, figura cerui capreoli, rostro acuto, maxilla superiore inferiorem longitndine superante, pilis erectis. — — Circa vmbilicum, reperitur in mare moschus, magnitudine oui gallinacei, qui est materia ambrosiaca, odore fortissimo, vtilitate magna. Tibetanus vt optimus; ita carior caeteris.

2) *M. Pygmaeus*, das kleine Guinesische Reh, supra fusco rufus, subtus albus, vix supra 9 pollices longus. Maior aliquanto est *Moschus meminna*, discolor; *Americanus* vero Moschifero magnitudine par, non item colore: quandoquidem corpus rufofuscum, os nigrum, gulam ostentat albam.

§. 27.

Animal trisulcum solum est

Rhi-

Rhinoceros, das Nasehorn, Nosforozec, vnius in nare cornu, par Elephanto magnitudine, cum quo bella gerit, cornu ad saxa limato, quem, nisi proboscide mature saluti consulat, ventre, cui maxime insidiatur, perforato, facile interimit. Sexum foemininum impense amare dicitur. *Species* eius:

1) *R. Vnicornis*, das Einhorn, Gednorozec, longus 12 pedes, vltra 6 altus, capite fere suillo, sono certe grunniente, ad cuius nares transuersas prominet in altum cornu 4 pedum magnitudine solidum, acuminatumque, quo arbores sternit, obvios vibrat in altum, vel confodit. Collum, et oculi, prout in sue, nisi quod hi fere ad apicem rostri sint collocati. Abdomen pendulum, corpus crassum, paucis obsitum pilis, pedes breues, sed ampli, buxeus color, pellis sic dura, vt eam vix glans plumbea penetret; circa collum, humeros, femora, ita complicata, vt scutis quasi, clypeisque tecta videatur. Quamquam mansuetum sit natura animal: tamen si irritetur, saeuit magnopere, cuius exemplum dedit, Jac. Bontius l. 5. Hist. Tanta bestia vepretis, spinisque vitam tolerat; crescit annos 25, viuit ad 150. Habitat intra Asiae, Africaeque tropicos, lo-

cis vmbrosis humidioribusque. Cornu eius dicitur resistere venenis, multisque mederi symptomatibus.

2) *R. Bicornis*, priori fere similis, nisi quod in fronte quoque, minus tamen, habeat cornu, id quod fortassis aetate senescente crescit. Ex hoc iudicaueris controuersiam de *Mino* - et *Rhinocerote* olim agitatam.

§. 28.

Animalia quadrifida numerantur

1) *Hippopotamus*, Behemot Jobi, das Nilpferd, (der Wasserochs) Nili - Bika, Nilsky-Kun, animal amphibium, longus 17, crassus 15, altus ad 7 pedes. Habitu corporis sui, quam equo, aut boui propius accedit, si iubam, et hinnitum equinum, atque caput bubulinum, at hoc longe maius, demas, in quo oculos paruos naresque conspexeris. Oris, 44. dentibus septi, hiatus formidabilis, amplitudinem 2 pedum superat, gula tamen angusta. Cutis fusca, pilis rarissimis, pollicem crassa; pedes columnis latioribus similes; cauda perbreuis, velut squamosa; mammae duae inguinales. Vescitur saccharo, milio, oryza, pisciculis: dormit in insulis arenosis, in quibus et parere solet, sed lactare foetum intra aquas. Natura mitis, ac meticulosus; si tamen laeda-

tur

tur, furit in aquis dirissime, subuertitque celoces; Crocodilos odit maxime. Habitat in fluminibus Africae, cum primis Nilo.

II. *Hydrochaerus*, Hippopotamo, si non magnitudine, in aliis certe haud dissimilis, cuius *Species:*

1) *Tapir*, *Sus aquaticus*, das Wasserschwein, Vizi-Disznó, Wodnj Swine, tantus, vt vacca mediocris, animal Americae maximum, quod interdiu syluis in densissimis somnum capit, noctu gramina, fructusque depascitur; territus mediis se oculit in vndis.

2) *Capybara*, sus palustris Americanus, par magnitudine porco minori nostro, at oculis multo maioribus, cuius super id maxilla superior longior est inferiore. Cauda caret; mammas contra pectorales habet 4, ventrales 6. Vt in terra currit lente, ita celerrime natat in aquis, in quibus de die plurimum habitat. Praeter vegetabilia, pisces quoque comedit, vbi se erexerat, palmis ori admotos.

3. *Sus*, quadrifariam scissis vngulis (de solidipede memineram supra) passim in prouincia Neogradiensi obseruatus.

§. 29.

Vngulas in quinque partes fissas, habet solus

Elephas, der Elephant, Eléfant, Slon, quadrupedum maximus, ad 14 ſcil. pedes longus, eadem fere altitudine. Beſtia eſt informis, capite fere quadrato, auribus inſtar laciniae propendentibus, oculis paruis, vegetis, proboſcide ad 9 ſaepenumero pedes protenſa, qua et reſpirat, et cibum potumque ori admouet; ſternit adhaec arbores, ſeſſorem oneraque in tergus attollit, quam ille quidem, pro lubitu, iam contrahit, iam extendit, et in eum modum torquet vt nodos ſoluere, ſeras aperire, imo, vt plerique tradiderunt, litteras pingere queat. Dentibus primoribus Elephas caret, at laniarii, duo ex mandibula ſuperiore nati, ad octo vſque pedum longitudinem eminent, ex quibus vaſa eburnea confici ſolent, quin Plinio auctore, poſtes domiciliorum, et pali pro ſtabulis pecorum, in Africa. Collo praeditus eſt craſſo, ore paruo, cute rugoſa, et firma adeo, vt oſſeam putares, in abdomine tamen molliore, quam ea propter, in pugna, petit Rhinoceros. Dorſum videtur eleuatum, turpiter incuruum, crura teretia, velut columnae, iuncturis tamen ad flexum, contra ac putatur, inſtructa; mammae iuxta pectus paruulae; cauda porcinae ferme ſimilis; color cinereus, vox, ex proboscide emiſſa, talis videtur, vt tubae leui-

leuiter raucae; ex ore quasi hominis loquentis, et gemitu ac dolore spirantis praeterea.

Differunt Elephanti inter se colore, sed inprimis magnitudine. Sunt, quorum vnus 80. centenarios adaequat; ita nihilominus celeres, vt 20 milliaria intra diem emetiantur. Reguntur fibula proboscidi adplicata, ab homine collo insidente. Minimi dicuntur esse in Ceylonia insula, paruisque dentibus.

Vitam tolerant ramusculis arborum, variis fructibus, herbis, leguminibus, frumento. — — Qui alios aetate et corporis mole antecellunt, inusitato sunt robore, ut turres cum armatis portent, oneraque ingentia, 1. Macc. 6, 37.

Quamquam vero, si corpus respicias, formidabile isthoc est animal: tamen ni irritetur, sic mite, vt nihil eorum, quae sibi occurrunt, vel circa se versantur, laedat; sicque mansuescit, vt vel a puero regi possit, blandiaturque dominis fere meditate, ac inprimis sexui muliebri.

Docilitas, memoria, atque calliditas in hoc animante est tanta, vt ad hominem proxime accedat, velut bene, sic malefactorum memor. Plinius, Seneca, Suetonius, Aelianus, Plutarchus, narrant, Elephantos per funem ambulasse, scripsisse litteras, saltasse ad sonum

chordarum, detexisse domino fraudem serui, qui se pabuli parte frustratus erat; adgnouisse post multos annos nutritium veterem; ad scopum iaculatos, armisque vsos fuisse.

Caeteroquin animal cognitum semper generosum, vt aegre aemulum patiatur, et prolis suae ita amans, vt malit eam perdere, quam in alienam venire potestatem. Adolescit an. 30. aetatem producit fere ad 300 annos. Amat Indiae, et Africae paludosas syluas, ac flumina, apud quae degit gregarius, ac saepenumero sese aquis, quas vel maximas facillime tranat, sola proboscide eminente, mergit.

CAPVT II.

DE ANIMALIBVS DIGITATIS.

§. 30.

Sequuntur iam quadrupedia digitata, et ea quidem primo loco, quae *binos* habent *digitos* (Didactyla). In his

I. *Camelus*, das Kameel, Teve, Welblud, cornibus, secus ac pecora alia, dentibusque primoribus, in superiore maxilla caret; labium, naso adhaerens, nactus est fissum. Altitudo corporis sex interdum excedit pedes, caput tantae

tae magnitudini impar; collum longum et gracile, incuruatum, pilis tectum longioribus, de caetero breuiores, molliores in simul, toto corpore, si gibbum excipias, habet; color cinereus prope. Os est, cum gingiua, dura cartillagine munitum, ne sentes, et stipulae noceant, quibus ille vescitur. Intra viscera praeter, quam quae alia pecora habent, ventrem alium, pro dolio, gerit, quem aqua turbida ita implere solet; vt multorum dierum sitim perferre possit; peregrinantesque aquae pressi defectu, mactent camelum, hoc vt se liquore, maximo in aestu, reficiant.

Inseruiunt cameli permagno hominum vsui: cum eis, ne quid de pilis, lacte, et carne sapida proferam, et ad portanda onera, (vnus saepe ad 1200 libras fert) et ad trahenda celeriter vehicula vtuntur; quos ea propter, inter armenta pascit oriens. Nec tamen vltra adsuetum procedere solent spatium, nisi fors cantu, et musica deliniti; nec plus solito onere, quod vt dorso imponatur, genua flectunt, recipere consueuerunt.

Odium aduersus equos gerunt naturale; inde factum esse aiunt, vt camelorum maxime ope, Cyrus, Croesum equitatu valentem, superarit acie. Cameli *Species* sunt:

1) *C. Dromedarius*, ſeu Camelus Arabicus, *Dromas*, ob celeritatem dictus, quando ad 20 milliaria, die vno, ſuperat curſu. Gibbo dorſi, ſeu tubere, quod tophus vocatur, vno duntaxat gaudet.

2) *C. Bactrianus*, ſeu *Turcicus*, priore maior, et frequentior, tophis dorſi duobus, quorum poſterior altius prominet.

3) *C. Lama*, das Schaafkameel, magnitudine prioribus ſuppar; at dorſo laeui, tubere pectorali; portat nonniſi plus minus 200 libras: greſſu tamen firmiſſimo, ſaxoſis quoque in locis.

4) *C. Pacos*, minor praecedente, et debilior, cum ultra 70 libras ferre nequit, celerior tamen. Animal Peruuianum, vna cum ſuperiore.

II. *Myrmecophaga*, quod formicis veſcitur, germ. der Ameiſenfreſſer, hung. Hangya-Evö, Slau. Mrawcozrács adpellatur. Caret dentibus; os habet paruum, linguam tenuem longam, et teretem, qua extenſa, ac ſaepe dulci quodam liquore madefacta, captat formicas, vt ventrem ſatiet. Inediam ad duas pati dicitur hebdomadas. Quod lente admodum incedit, variis expoſita eſt iniuriis: defendit tamen ſeſe vnguibus, aut in binos pedes, velut vrſus erecta, aut in dorſum proiecta. Vſu in-

interdum venit, vt poſtquam feram aliquam, ſubinde tygridem quoque, vnguibus corripuerat, enecet; malitque diſſecari, vel cum ſemel apprehenſa beſtia perire, quam ex poteſtate ſua eandem dimittere. Nonnunquam tamen periculum euitatura, arbores conſcendit, ſeque de eis cauda ſuſpendit.

Numerantur animalis huius, quod America alit, quatuor ſpecies, quarum etſi duobus pluribus digitis ſunt praeditae, pilisque variant: tamen, vt memoriae conſulam, hoc loco indicandas putaui.

1) *M. Didactyla*, (Tamandua, ſeu Coaty) reliquis minima, vtpote cuius magnitudo vix octo excedit pollices, quodſi caudam, eiusdem fere longitudinis, excipias.

2) *M. Tridactyla*, (Tamaudua Guacu), priore nonnihil maior, cauda villoſa, mammis octo.

3) *M. Iubata* omnium maxima, cum ſit ad 4 pedes longa. Roſtrum habet protenſum, gracile, oculos paruos, os minuſculum, linguam chordae craſſiori ſimilem, vltra duos pedes longam, pilos murini coloris nigricantes, caudam pilis longiſſimis, planis, nigris iubatam, quam agitat irata, et dum pluit, loco tegetis, dorſo obtendit.

4. *M.*

4) *M. Tetradactyla*, ſeſqui pedem longa, cauda pari ferme longitudine, tenui, piloſa, ſed apice nuda, qua interdum de arbore pendet.

§. 31.

Quadrupes, qui *ternos* haberet *digitos*, (Tridactylus) eſt ſolus

Bradypus, nonnullis a forma, *Archopithecus*, aliis a tarditate, *Pigritia* dictus, *Ignauus* item, et *Tardigradus*, Braſilienſibus, a voce, quam ingeminat, *Ai*; germ. das Faulthier, hungar. Reſt-Kutya; Slau. Leniwy Pes. Magnitudine eſt canis mediocris, facie buboni, aut potius ſimiae propemodum ſimilis, ſine auribus, collo in longitudinem protenſo, cauda breui. Figura miſerabilis; pedes anteriores, poſticos excellunt altitudine; vtrique ſunt vnguibus magnis ornati; at vel hac de re animal tardigradum, quod vix 50 paſſus, intra diem, rependo ſuperat, in arborem, cuius foliis nutritur, adſcendit ſaepe biduum; de qua ſe interdum, ne diu ſerpere debeat, impetu deiicit, praecipitatque. Vt imbres metuit, ita potu abſtinet, quin cibo quoque vel toto menſe; vt plerique ſibi ex vano perſuaſerint, animal hoc aere ſolo, quem haurit omnino auidiſſime, viuere. Ad velocitatem nullatenus

adi-

adigi poteſt, natura ad ignauiam proiectum animal, ſomno praeterea nimis deditum. Eſt nihiloſecius armatum in hoſtes, quos ſi comprehendat, vt Myrmecophaga, vnguibus tenet tamdiu, quam emoriatur. Id ſi efficere nequit, lacrymis, et doloroſo adſpectu, ſi non beſtias, ſaltem homines permouet, ne ſibi noceant. Noctu perhibetur *ha, ha* ad Muſicorum chordarumque ſonos cantare, cuius melodiam videas apud Cl. Schottvm, in Phyſica curioſa. p. 909.

Deprehenditur huius animalis alia quoque ſpecies didactyla, quam *Vnau* vocant, ſine cauda, magnitudine ſciuri, auriculis latis, pilis ferrugineis, vndulatis, iisque mollibus. Non in noſtra Hungaria, ſed in Ceylonia habitat inſula.

§. 32.

Quaternis digitis quadrupedia (Tetradactyla) haec fere fuerint:

1) *Hyaena, Lupus marinus*, quam ad canis genus referri videas, etſi cum Mele coniungendam iudicet Cl. Schreberus. Certe magnitudinem adaequat canis maioris, tametſi faciem collo craſſo, apri, aut lupi oſtentet. Auriculae ei ſunt erectae, longae, acutae, nudae; pili hirſuti, albi, nigris apicibus, fere vt lupi, cauda longius piloſa, in-

interdum annulis fuſcis diſtincta. Animal crudele, et ferox, quod ex inſidiis plerumque, vel leonem adgreditur, et ſternit. Humanis inhiat cadaveribus, quae egerit quandoque ex tumulo: deficiente tamen carne, et radicibus, palmarumque ramis ſaturatur. Quicquid irritata dentibus corripit, tenet ea pertinacia, vt nec cum vitae periculo amittere velit.

Fabulati ſunt veteres, vtramqueHyaenis eſſe naturam, alternis ſcil. annis mares, alternis foeminas fieri, ac ſine mare parere; ſermonem praeterea humanum, paſtores inter, aſſimulare, nomenque iam huius, iam alterius addiſcere, quem euocatum foras laceraret; vomitionem porro hominis imitari, ad ſollicitandos canes, quos inuaderet; oculis mille ineſſe varietates, atque mutationes colorum; vmbrae eius denique contactu canes obmuteſcere. Certe inimicitiam, cum Pantheris non ſolum, vbi vita ſuperat, gerit; ſed exanimata quoque talem ſe praebet, vt ſi pelles vtriusque ſuſpendantur ſimul, decidere pili videantur Pantherae. Venatores eam, inter alia, cantu, atque tympanorum ſonitu delinitam, laqueis iniectis, capere ſolent.

II. *Cauia*, oſtendit ſupra pariter ac infra, duos dentes primores, laniarios nullos,

vti

vti nec caudam, certe perbreuem. *Species* huius:

1. *C. Porcellus*, ſeu *Cuniculus Indicus*, quibusdam *Mus porcellus*, das Meerſchwein, Tengeri-Diſznó, Morské Praſa. Longitudo corporis ad 11 pollices, capite rotundo craſſiore, roſtro obtuſo, labio, quod infra eſt, breviore, quod ſuperius, fiſſo nonnihil, naribus minimis transuerſis, oculis modice prominentibus, auriculis breuibus, atque rotundis, collo itidem breui, cauda nulla, corpore pulchre rotundo, pedibus non magnis. Inquietum animalculum, grunniens, prolificum, quum bimeſtri quolibet 4—10. pariat, et menſe ſecundo adoleſcat, frigoris inter alia impatiens, rattorum hoſtis, vorax, aquae parciſſimum. Alitur porcellus hic, ex America in Europam translatus, paſſim in domibus, cuius carne plerique vtuntur, porcinae inſtar.

2) *C. Aperea*, die Braſilianiſche Maus, magnitudine priori fere ſimilis; *Capenſis*, abdomine amplo; *Aguti*, corpore ex rufo fuſco, ventre flaueſcente; *Acouchy*, corpore oliuaceo; *Leporina*, corpore ſupra rufo, parte inferiore albo; et *Paca*, pedibus pendactylis, colore fuſco, albo, et flaueſcente; in America omnino, at vix in Hungaria noſtra reperiunda.

III.

III. *Glis*, si dentes quidem respicias, Caviae persimilis: est tamen multis modis dispar. *Species:*

1) *G. Marmota*, aliis *Mus Marmota*, (Alpinus) das Murmelthier, Hauassi-Hörtsög, Bossuk, polon. Bobak, cati magnitudine, formaque pene simili, collo tamen crassiore, caudaque brevis, et pedibus pilosis admodum, vnguibus longis, acutis, auriculis fere truncatis, colore prope ruffescente. Victitat insectis, radicibus, vegetabilibus, — — quae palmis ori admovet, sed delectatur maximopere lacte. Dum pascuntur aliae, vna agit vigilias, quae vbi periculum imminere sentit, voce acuta, fistulae simili, signum dat fugae. Incedit saepe erecto corpore; et dum laetitiam indicare vult, murmurat. Aestate bestiunculae isthaec hybernacula conficiunt, introitu duplici, quorum altero quisquilias egerunt. Sternunt aliae gramina, colligunt aliae, ex his nonnullae in tergus prolapsae, extentis in altum pedibus, traharum formant speciem, quas caeterae, postquam graminis secti, aut mosci, tanquam currui, imposuerunt satis, cauda apprehensa trahunt in specus suas, quas mira exponunt arte. Totam dormiunt hyemem, in formam glomeris convo-

voluti, et quaſi penitus congelati, vt nec diſſecti euigilent; calore tamen, vitam, acutum fiſtulando, produnt. In autumno pingueſcunt maxime, quo per hyemem vivere poſſint. Cicurati Glires Marmotae varias percipiunt artes, quorum opera, Sabaudi quidam, et in caminis perpurgandis vti perhibentur. Reperiuntur paſſim ad montes Carpaticos, pelle optima, et carne eſculenta. Profecto Itali veteres, Varrone teſte, eam in deliciis habuere. De modo eos capiendi, vide, ſis, Gasp. Schottvm, Phyſ. curioſ. pag. 1038.

2) *G. Cricetus*, aliis *Mus*, der Hamſter, (Krieſch) Hörcsög, minor cato, bucca vtrinque ſaccis inſtructa. Myſtaces nactus eſt nigras, rotundas auriculas, colorem ſubtus nigrum, lateribus rufeſcentibus, maculis vtrinque tribus albis. Beſtiola eſt celer, iracunda, mordax, audaciaque tanta, vt vel bubus penes latebras ſuas tranſire volentibus, reſiſtat, et aurigam ſe petentem, ſcuticae innexa inuadat, vulneretque. Fodit cauernas multiplices, aditu, qua obliquo, qua perpendiculari. Comportat in ſacculis ſuis, pro hyeme grana ſelecta frumenti, ſaepe vnius modii menſura, piſa, fabas, aliaque legumina, et ea

diuersis reponit cellulis, sed pullos quoque, quos supra sex, bis, vel etiam ter anniuersarie edit, separata alit specu. Capi solet, cum ob pellem subducturae inseruientem, tum ob ea, quae suos in vsus collegerat. Reperitur in Hungaria.

3) *G. Citellus* (Mus Noricus) die Zieselratze, Ürge, Sysel, vulgo Sorex. Minor est criceto, rostro conico, naso nigricante, labio superiore bipartito, oculis sat magnis, sub collo verrucula, meatus auditui seruientes nudi, absque prominentibus auriculis, cauda longiuscula, valde pilosa, pelle variis coloribus distincta, inprimis fusco, albicante, luteo, ferrugineoque. Dum incedit, vel repere videtur, vel cursu celerrimo saltare. Cibum ei variae subministrant plantulae. Fodit locis campestribus antra, quae interne dilatata molliter sternit, eaque viso hoste, inprimis Putorio, et Erminea, sono fistulante derepente ingreditur; in his, clauso ostio, hybernat, in Septembri pinguis, macer in Aprili. Caput lauat, vt catus: dum irascitur, grunit instar porci. Habitat, sicut prior, in Hungaria passim, quem iuuentus infusione aquae infestat, capitque, vt pellem vendere possit, quodsi carne non semper vti. Non multum ab eo dissi-

ſidet *Glis Terreſtris Zemni* dictus, praeter quam, quod caudam habeat breuiorem, oculos minutiores, colorem autem murinum. Reliquas ſpecies in genere murium indicandas, lege, ſis.

§. 33.

Pedibus tandem *quinis* (Pendactyla) *quadrupedia* ſunt:

I. *Lepus.* Dentes primores habet vtrinque duos, quorum ſuperiores ſunt duplicati; caret laniariis. Huius *Species:*

1) *L. Timidus,* vulgaris, der Haſe, Nyúl, Zajacz. Etſi animal notum ſatis: tamen obſeruandum tyronum gratia, eſſe ad duos pedes longum, eadem fere vbique craſſitudine, oculis prominentibus maiusculis, membrana nictitante inſtructis, ſomno apertis, naribus, quas modo huc, modo illuc torquet, labio ſuperius fiſſo, colore cinereo, ruffeſcente, nigro intermixto, abdomine albeſcente, cauda nigra ſuperne, alba ſubtus, pedibus poſticis, quos decuſſatos nactus eſt, longioribus, quam priores ſunt. Victitat radicibus, herbis, ramulis fruticum, ſegete, oleribusque; dum fame premitur, hyeme praeſertim, arborum quoque corticibus. Si quod, hoc certe animans, omnium exponitur iniuriis. Homo, accipiter, canes, lupi, aquilae — —

vitae eius nunquam non insidiantur. Spes ei salutis in pedibus, queis ante caeteros valet, quamuis et aliis vtatur fraudibus, sic saepe in eiusdem coloris glebas se occultat. — — Parit intra mensem, (tres, aut duos) adolescit vno. Dormit apertis oculis, auribus in dorsum reclinatis, sedibus incertis (hyeme apriciora loca deligit, aestate borealia) in quas, ne a venaticis inueniatur canibus, saltu maiore sese coniicit. Carne eius delectamur, cumprimis suilla temperata. Pellem emunt plurimi, cuius certe ex pilis optimi petasi, et praestantia conficiuntur tibialia. Nec id obseruatu indignum, lepores montanos, grandiores esse iis, qui in planitie degunt; alpicos vero colore albo, sicut et boreales in Grönlandia. Sed sunt nigri quoque, immo visi etiam teste *Kleinio* et *Mayero*, viris doctissimis, cornuti. Americanos inter Iauanensesque exiguum intercedit discrimen.

2) *L. Cuniculus*, das Kaninichen, (Königlhase), Tengeri-Nyúl, Králik, (Morsky Zajacz). Agit cuniculos, inde et nomen indeptus. Hunc, qui oculis vsurpauit, timido minorem haud negauerit. *Ferus* est colore fusco, cinereoque; *domesticus* vario: inuenitur enim candidus, niger, disco-

color. Pellis bona; caro plerisque ſapida. *Angarienſis* differt pilis longioribus: *Argenteus*, pulchrioribus: *Ruſſus* eo, quod ſacco dorſali, caput oculat, et altero infra gulam, pro pedibus anticis vtatur. His adde *Tolaum* Gmelini —

3) *C. Dauricus*, Ruſſis *Talai*, cauda ſe ab aliis diſtinguit longiore, gula nigra: *Braſilienſis* defectu caudae: *Puſillus*, exiguitate, cum vix ſit mure ratto maior, ad Wolgam habitans. Nonne eſt in Hungaria?

II. *Sciurus*, quem alii ad Tetradactyla referunt, dentes habet vtrinque duos, at laniarios, ſi recte videmus, nullos. Notiſſimus eſt:

Sciurus vulgaris, das Eichhorn, (das Eichhörnchen, das Eichkatzel) Mokus, (Evet) Wewericza, (Wewericska) beſtiola aptitudine delectabilis; tenui quidem, et gracili, robuſto nihiloſecius corpore, alacrique ingenio praedita; oculis maioribus ſplendentibus, auriculis barbatis, colore rufo, et fuſco, in pectore tamen, et ventre fere albido. Cauda excellit piloſa, cuius ope dum eam expandit, transuolat ex vna in aliam arborem, ſolis in ardore ea ſeſe obumbrat, ac, quum amnes tranat, cortice conſcenſo, pro velo vtitur, cibum ore portans. Longitudo ſciuri vix

9 pollices excedit. Comedit erectus fructus varios, ſed praeſertim auellanas, ori pulchre palmis pro manibus vtens, admotas dentibus mira celeritate corrodit. Cauernas, qua boreas flat, in tempore obturat. Caro, a plerisque editur: certe pellis inſeruit ſubducturis, et pili ſubtiliores pictorum penicillis. Colore pro regionum diuerſitate variat: ſiquidem habetur *diſcolor*, ex ceruleſcente cinereus; *niger*, auriculis imberbibus; totus *albus*, oculis rubris; *aeſtuans*, griſeus, ſubtus flaueſcens; *flauus*, auriculis ſubrotundis, vulgari dimidio minor; *cinereus*, ventre albo, magnitudine ſui generis ſuperat omnes; *ſtriatus*, flauus, ſtrigis quinque fuſcis in longitudinem protenſis, flauo vix maior. Praeterire hic licebit, bona Lectorum venia, Sciurum Mexicanum, Tamariſcinum, Quercinum, Auellanarium, Volantem, Finniae, Canadae. — — Petauriſtam, Sagittam. Conſule interim, ſi placet, *Pennantum, Briſſonium, Linnaeum, Müllerum, Erxlebenum, Zimmermannum,* alios.

III. *Sorex*, cuius indicia, a plerisque omnibus pronuntiantur, dentes ſuperiores duo bifidi, inferiores quatuor, intermediis breuioribus, laniarii vtrinque plures, naſus elongatus, gracilis. *Species:* 1)

1) *S. Araneus*, seu *Mus Araneus*, die Spitzmaus, Földi-Egér, Nemecka Myss, minor aliquantulum mure musculo, rostro etiam acutiore, longioreque, ventre sordide albo. Vt alii mures, cellas promorum infestat. Occiditur quidem a felibus; sed quia venenatus est, sicut Rattus, ab eis non editur, nisi summa in fame. In vita conseruanda videtur esse desidiosus; inde prouerbium: *Sorex suo indicio periit.*

2) *S. Cristatus*, et *Aquaticus*, figura corporis, moribusque talpae, at dentibus Sorici similiores. Habitant in America Septentrionali.

3) Praeter haec inuenitur *Sorex minutus*, rostro longissimo, sine cauda; *S. Pusillus*, auriculis rotundis, cauda breui; vt *Daubentonii*, qui apud nos ad aquas, in fissuris rupium habitat, et *Murinum* praeteream.

4) Ad haec *Sorex Brasiliensis*, fuscus, dorso striis tribus nigris ornatus, dignus memoratu, cum *S. Moschato*, longitudine quatuor circiter pollicum. Atque hic quidem habitat tam in Lapponia, quam ad Wolgam, falso castorum generi adscriptus.

IV. *Manis*, dentes, vt Myrmecophaga, a qua scilicet solo vestimento differt, habet nullos, linguam, vt illa, teretem,

os angustum, corpus squamis tectum, mammas duas pectorales. Animal exoticum, quod diuiditur in *Brachyuram*, longitudine ad 8 pedes, cauda prope simili, quae in India, insectis, vermibus, et lacertis victitat; et *Macrouram*, cauda corpore longiorem, quae licet eiusdem sit naturae, multo tamen priore minor. Incola Africae, et Americae.

V. *Dasypus*, seu *Armadillus*, *Cataphractus*, *Tatus*, das Gürtelthier, instructus 7 aut 8 dentibus molaribus, absque primoribus, laniariisque: lorica ossea oppertus. Figura prope porcina: potat multum: terrefactus conglomeratur, quo facto, ob setas auctiores difficulter vulnerari potest. Habitat in Hungaria quoque, vid. Cl. Kleinius p. 87. (der Sammlung merkwürdigster Naturseltenheiten des Königreichs Ungarn.) De caetero visitur *tricinctus*, ob cutis contractionem, pedis vnius cum cauda; *quadricinctus*, Testudinatus porcellio; *Sexcinctus*, magnitudine cati; *Septemcinctus*, Aiatochtli, Erinaceus loricatus, corpus 10 pollices longum, cauda pollice breuior; *Nouemcinctus*, longitudine 2. pedum; *Duodecimcinctus*, maximus sui generis; et *Octodecimcinctus*, corpore decem, cauda septem digitos lon-

longa, conf. *Schotti* Physic. curios. l. 8. c. 3. p. 911. sequentibus.

VI. *Mus.* Dentes primores vtrinque duo; inferiores subulati, laniarii nulli, pedes digitati, cauda gracilis, subnuda. Genus hoc multas complectitur species, palmis et plantis inter se nonnihil discrepantes, quae omnes emolumenti parum, damni plurimum adferunt. Praecipuas breuiter attingemus.

1) *Mus Rattus*, Glis vulgo, die Ratte, Patkan, (Gözii, Malom egér) Potkan, rostro praeditus acuminato, auriculis subouatis, digitis compressis, cum unguiculo pollicari; colorem habet superne vel nigrum, vel griseum, subtus magis cinereum. Animal noxium, lascivum (parit pluries in anno, ad sex vel septem) et crudele; saeuit enim interdum in propriam quoque speciem. Referri huc potest:

a) *M. Surmolottus*, seu *Rattus migratorius*, qui in Anglia ante ann. 1736, et Parisiis, teste Cl. Büffonio, visus erat. Est ille cauda longissima, supra dilute fuluus, infra albicans. Reperitur in Germania; numne et in Hungaria?

b) *Mus Migratorius*, ratti magnitudine, rostro crasso instructus, crumenis buccarum, ad humeros vsque protensis. Auriculas habet reclinatas, oua-

les; caudam breuissimam. Habitat ad Iaikum, nonne apud nos quoque? Dicitur is ex desertis Siberiae magno erumpere numero, insequente mox incredibili vulpium multitudine, vid. Cl. Zimmermanni Zoologia. p. 513.

c) *R. Didelphis*, die Beutelratze, Zacskó egér, Messecny Potkan, Mus Americanus, magnitudine felis, rostro oblongo, magnis auriculis, rotundisque, corpore superne fuluo, subtus albescente; cauda mediocre. Incedit calcaneis, scandit arbores, quarum se ramis cauda adplicat, et vibrando in proximas traiicit: mortem simulat capta; parit 4 — 6. pullos, qui territi, inprimis saccum abdominalem intrant. Varietates huius sunt: *Didelphis orientalis*, *Philander*, *Murina*, *Dorsigera*, et *Breuicaudata*.

2) *Mus Domesticus*, *Musculus*, die Maus, Egér, Mysz, minor ratto, absque vnguiculo pollicari, colore griseo, interdum et albo, oculis aurantiis. Est polyphagus, de caetero timidus, et cautus; siquidem non longe a suo foramine abit, et primo excitato strepitu, illico fugit. Parit 7 - 12. Delectatur musica: praeda multorum: pellitur ebulo. De hoc *Avicenna* l. 2. Tract. 2. c. 498. *Sanguis eius*, inquit, *eradicat verrucas* — — *Si bibatur*

ster-

ſtercus muris cum thure, et aqua mellis, frangit lapidem.

3) *Mus Agrarius*, die Ackermaus, Mezei-Egér, Polnj Myſs, paulo ſubtilior domeſtico, quo feles minus delectantur.

4) *Mus Syluaticus*, die Waldmaus, Erdei-Egér, Leſnj Myſs, cauda mediocri, corpore cano, intermixtis pilis nigricantibus, pectore flaueſcente, abdomine albido. Huc et *Auellanarium* retuleris.

5) *Mus Amphibius, Aquaticus*, die Waſſerratte, Gati-Egér, Wodnj Myſs, craſſior, etſi non longior mure ratto, auriculis paruis, naſo craſſo, oculis minutis, pilis nigricantibus, admixtis ferrugineis, ventre griſeo; quamuis detur et albus. Victitat piſciculis, ranis, inſectis, radicibus. Bene natat atque vrinatur; habitat apud nos paſſim.

6) *Mus minutus*, die Zwergmaus, Kis-Egér, Malá Myſs, vix dimidia vulgaris mole, corpore griſeo luteſcente, ſubtus ſordide cano. Habitat tam ad Wolgam, quam in Hungaria.

7) *Mus ſtriatus* et *volans, Iaculus*, item, ſeu *Mus Aegyptius*. Atque hic quidem par eſt magnitudine vulgari noſtro: at incedit bipes, ſuper pedum plantis, ſalitque ad duos paſſus, cauda opitulante: cibum palmis ori admouet; nocte ſemper vigil.

VII.

VII. *Vespertilio.* Dentes inaequales; palmae corpore longiores, membrana inter digitos expansa ad volandum, mammae duae pectorales. *Vespertiliones — minimam pro corpore vocem emittunt, peraguntque leues stridore querelas — — lucemque perosae. Nocte volant, seroque trahunt a vespere nomen.* Incessu sunt mirabiles, ob pedum structuram. Hybernant saepe gregatim, in antris, arboribus cauis, ruderibus, posticis pedibus, vtplurimum, suspensi. *Species:*

1) *V. Murinus*, die gemeine Fledermaus, Szárnyas-Egér, (Bör-Egér, Denevér) Netopyr, (Kridlatá myss, Hazir, Pirdak) cuius magnitudo est plus minus 2 ½ pollicum, rostrum oblongum, maxilla superior inferiore breuior, auriculae rotundae, color murinus, subrufus etiam, subtus pallide griseus. Siluestris non nihil variat. Parit vterque duo.

2) *V. Auritus*, die langöhrige Fledermaus, Hozszúfülö, Szárnyas-Egér, Dluhoussny Netopyr, priore semipollice minor, naso simo, auriculis fere longitudine corporis, tenuibus, colore e flauo canescente, subtus ex flauescente, albidoque griseo.

3) *V. Lardarius*, seu *Noctula*, die Speckmaus, tantus velut murinus; colorem tamen, ex rufo, et cinereo mix-

mixtum habet; lardum in Hungaria furatur: *Serotinus*, die blaſſe Fledermaus, membrana nictitante, minor noctula, corpore ferrugineo fuſco; *Pipiſtrellus*, die Zwergfledermaus, omnium minimus; et *Barbaſtellus*, das Kurzmaul, roſtro breuiſſimo, buccis tumidis, piloſisque, naſo plano, auriculis approximatis, vt frontem tegere videatur, corpore ſupra fuſco, ſubtus mixto ex fuſo, et griſeo. Habitat in Gallia; ignoro, num in Hungaria?

4. *V. Equinus*, ſeu *Ferrum Equinum*, roſtrum nactus craſſum, folioſum ſupra labium ſuperius, et nares, forma ferri equini, corpus ex rufo cinereum, ſubtus albicans.

Extra Europam reperiuntur Veſpertiliones, *hiſpidi*, *picti*, *nigritae*, *moloſſi*, *cephalotes*, *lepturi*, *boreales*.

Quid obſtat, quin huc referatur *Pteropus* exoticum animal, eiusque variae *Species* in his:

a) *V. Vampirus*, *Veſpertilio ingens*, *admirabilis*, der fliegende Hund, Sciuri magnitudine, roſtro ſatis longo, colore diuerſo, oculis magnis, naribus parum diuiſis. Gregatim volando, ſaepe aerem obſcurant in India. Mordet vehementer, ac foetet; fors *Harpya* veterum.

b)

b) *V. Spectrum*, ſex fere pollicum, naſo perlongo, digitis quatuor, membrana connexis, vnguibus acutis, cauda nulla. Habitat in America, quin et in Hungaria noſtra; dicitur ſanguinem dormientium nocte ſugere, et ne expergeſiant, alis, inſtar flabelli, amoenam efficere auram.

c) *Pteropus Spaſma*, caudatus, naſo foliato, obcordato, vt *Linnaeus* ſcribit; aliis: *Glis volans ternatanus*.

VIII. *Talpa*, dentes habet ſuperiores ſex, inferiores octo, ex laniariis vnum maiorem, quatuor minores, molaribus gaudet acuminatis. *Species*:

1) *Talpa Europaea*, der Maulwurf, Vakandok, Krtice, (Krt) cuius longitudo eſt ad 5 pollices, cauda breuis, ſed craſſa, oculi minuti, aures fere nullae, ſenſu optimo; corpus aequale, os ſuillum, pedes antici, quaſi manus humanae, foſſorii, poſtici minores, quibus terram egerit; pellis bona. Habitat vbique, ſi frigore nimio adſtricta exceperis loca. Olfactu gaudet fortiſſimo. Victitat vermibus, inſectis, et radicibus, hortis proin, ac pratis infeſta. Liceat huc adſcribere, quae Plinius Hiſt. Nat. l. 8. c. 29. memoriae prodidit, vbi: *M. Varro* inquit, *auctor eſt, a cuniculis ſuffoſſum, in Hiſpania oppidum; a Talpis in Theſ-*

Thessalia; ab ranis ciuitatem, in Gallia, pulsam; ab locustis in Africa; ex Gyaro, Cycladum insula, incolas a muribus fugatos. —

Caeterum reperitur Talpa albo colore maculata, imo tota alba, eaque vel in nostra Hungaria.

2) *T. Americana*, versicolor, cum et cinereum, et rufum, nigricantemque purpureo mixtum habeat colorem.

3) *T. Asiatica*, seu *Siberica*, pariter versicolor, sed haec quidem sine cauda. De his speciebus notum proverbium: *Talpa coecior.* Huc referatur velim:

a) *Spalax maior*, 8 pollicum, capite pyramidali, naso rotundo, dentibus apertis, oculis grano papaueris similibus, nigris, qui nonnisi cute detracta, detegendi; auriculis nullis, meatu auditorio pilis tecto; collo corpori adhaerente, trunco cylindrico, dorso subgibbo, cauda vix adparente, pilis cinereis, apice, rufescentibus; naso cute nigra tecto, in fine albescente. Vox pipiens. Habitat ad Wolgam, nonne ad Tibiscum, Vagum, et Danubium?

b) *Spalax minor*, rostro abbreuiato, similis muri amphibio, vid. Erxleben p. 379. sequentibus.

IX.

IX. *Erinaceus* habet dentes primores superiores duos, diſtantes, inferiores totidem, ſed propiores; laniarios vtrinque duos recumbentes; corpus ſpinis tectum. *Species:*

1) *Er. Europaeus*, der Igel, Töviſes-Diſznó, (Sündiſznó), lez, (Geza) longitudine corporis decem pollicum, cauda vnius, roſtro vel ſuillo, vel canino (illi, non hi, comeduntur) auriculae latae, oculi parui et nigri, corpus ſetis tectum, colore vario. Reſpectu roſtri, de quo memineram, diſpeſcitur, Erinaceus, in *caninum*, et *Suillum.* Dum hoſtes aduertit, formam in globi ſe contorquet, nec ita, ſine vulnere attingi poteſt. Veſcitur bufonibus, vermibus, inſectis, radicibus, ſed pomis ſylueſtribus inprimis, quae in cumulum actus, ſetis, infigit, ad cauernas deportanda, quae foraminis anguſtia decuſſa, vltro in ſpecum deuoluuntur. Reperitur apud nos paſſim; parit ineunte aeſtate, plus minus quatuor.

2) *E. Sibericus*, auriculis planis, naſo ſimplici, Europaeo haud impar. Inueneris *Inaurem* quoque; ſed *auriculis* etiam *pendulis*, quem Malaccenſem vocant. Non ſine cauſſa huc adnumeratur.

Hy-

Hyſtrix, das Stachelſchwein, ſetis, et grunitu cum ſue conuenit, ſimilior Erinaceo; vt tamen corpore, ita ſpinis, quae in dorſo ad 15 pollices excreſcunt, maior. In globum contractus, ne leonem quidem metuit. Habitat in Aſia, Africa, et America. Eſt vero Hyſtrix, de qua ſcribimus, vel *criſtata*, vel prehenſibilis, vel *dorſata*, vel *macroura*. Vid. ERXLEBEN in Mammal. p. 340. ſequentibus.

X. *Muſtela*, quaſi mus longior. Dentes habet ſuperiores ſex, totidem inferiores, linguam laeuem, caudam ſat bene longam, pedes fiſſos. *Species*:

1) *Muſtela vulgaris*, vtpote quae circa domos oberrat, das Wieſel, Menyét, Laſycza, corpore 7 pollicum circiter, ex rufo fuſco, ſubtus albo, macula nigra pone oris angulos. Timida, et tempeſtatis praeſaga; hinc ſaepe catellos, ex nido priore, transfert in tutiorem. Inimiciſſima ſerpenti, et muribus. Morſu nocet valide. *Hanc tamen*, vt *Auicenna* ſcribit, *effugat odor rutae*.

2) *M. Putorius*, vulgo *Viuerra*, der Iltis, Göröny, (Giriny) Tchor, cati magnitudine, at ſubtilior, colore ex flauo nigricante, cauda fuſca, piloſa. Praedatur noctu Gallinas — — cuniculos, auiculas, oua. Foetorem

 emit-

emittit intolerabilem, quo vel praedae insidiatur. Degit intra lignorum, lapidumque aceruos, in syluis praeterea, et horreis. Capitur vario modo, partim quod rei domesticae nocet; partim quod pellis inseruit vsui.

3) *M. Martes*, der Marder, Nyest, Kuna, longa plus minus 19 pollicum, auribus breuibus rotundis, oculis fulgidis, naso prominente, pilis profunde castaneis, splendentibus, gula pectoreque flauis. Vescitur talpis, sciuris, auiculis, muribus. Degit in rupibus, fagis, et abietibus, inde, et coloris, et denominationis varietas. (Stein - Buch Edel - Tannenmarder, Slauis, Skalná, a Lesková Kuna) Alibi quam in Hungaria frequentior; vtvt et heic passim reperiatur.

4) *M. Furo*, seu *Sylueſtris*, minor Putorio, cum quo coit, oculis rubicundis, colore pallidissime flauo. Deliciae eius sanguis cuniculorum.

5) *M. Zibellina*, *Sobella*, der Zobel, Nyuszt, Sobol, longa 18 poll. cauda 12. pilosa admodum, colore obscure fuluo, (datur et albo, flauicanteque) gutture cinereo, fronte albida. Habitat in Siberia, rarior in Hungaria. Latet in cauernis, aut sub arborum radicibus; nidum saepe in arboribus parat, vt Martes. Dicitur ex ar-

arbore in arborem, inſtar Sciuri, ſalire. Victitat aeſtate ſciuris, leporibus, — — autumno baccis; hyeme auiculis. — — Parit 3—5, quos ſupra menſem lactat. Pellis nigra pretioſiſſima, alba rariſſima. Americana Europaea, vel Aſiatica maior.

6) *Mus Erminea*, *Mus ponticus*, das Hermelin, Pegymet, Hermelin, vulgari maior, corpore pallide fuſco, alba gula ventreque, cauda ſubnigra. Habitat in ſiluis betulinis, et locis vliginoſis, in noſtra etiam Hungaria, Pellis multo pretioſiſſima.

7. *M. Foina*, eadem, quae ſaxatilis, et fagina, quae in campeſtrem, et domeſticam diuidi ſolet; gutture albo et flauo diſtinguitur.

8) Habetur quoque *M. Barbara*, atra, collo ſubtus alba macula, vt plerique nigri apud nos cati, diſtincta, in America habitans; *Galera* tota fuſca, in Aſia; *Canadenſis*, colore ex fuluo, in nigrum degenerante, pectore macula alba notato; *Sarmatica*, colore fuſco luteoque varia; *Sibirica*, fulva palmis, plantis hirſutiſſimis, quam Ruſſi *Kulonnok*, vel *Chorok* vocant; et *Niualis*, Suecica corpore albo.

XI. *Viuerra*, non idem, quod vulgo putatur; animal exoticum, dentibus primori-

ribus vtrinque ſex, vnguibus exſertis. *Species* hujus ſunt:

1) *Ichneumon*, *Mus Indicus*, *Muſtela Aegyptiaca*, die Pharaonsmaus, magnitudine felis, ſpecie muris, pilis albido, et griſeo nigricantibus, cauda longitudine corporis, pollice a reliquis digitis diſtincto. Incedit calcaneis; veſcitur herbis, ſerpentibus, muribus, ouis crocodili, in quem naturali fertur hoſtilitate, ac dum Trochilus reliquias eſcae, ex dentibus, ſculpurigine amoene titillitante, eximit, et hic, adperto ore, obdormit, in ventrem inuolans, viſceribus conciſis, aduerſarium hunc enecat. Reperitur in India, et ad ripas Nili.

2) *V. Genetta*, die Gennettkatze, Janot, tanta, vt felis, roſtro tamen acuto, colore nigricante, cauda annulis octo nigris, totidem albicantibus inſtructa. Habitat in Oriente, Hiſpania. — — Pellis pro fimbriis adhibetur, cuius praeſtantiae felium Hungariae nigrarum parum cedit.

3) *V. Foſſa*, die Bieſamkatze, priore minor, corpore cinereo, mixto rufo, lineis nigricantibus. Inuenitur in Africa, et quibusdam Aſiae inſulis.

4) *V. Zibetha*, die Zibethkatze, longa vltra duos pedes, pilis cinereo nigroque colore vndatis, gutture, pedibus, et

et ventre nigris. Patria ei eſt Africa, et Aſia, nutritur tamen et in Belgio.

5) *V. Putorius*, das Stinkthier, nigricans, lineis quinque dorſalibus parallelis, muſtellae putorii magnitudine. Irritata halitum foediſſimum ſuffocantem edit, et in globum contorta vrinam ſpurciſſimam excoecantem, ſe defenſura ad 18 pedum diſtantiam eiaculatur. Veſtes tali ſpurcitie, ac foetore pollutae, purgantur non alias, quam ſi die toto terrae infoſſae, maneant. Caro fit ſapida, quod ſi cutis in tempore detrahatur, veſica exſecta. Habitat in America, et nec homines, nec feras valde metuit.

6) Super haec in America reperitur, *V. Naſua*, rufa cauda, albido annulata; *Narica*, ſubfuſca, cauda concolore; *Vulpecula*, caſtanea, ſubtus flaueſcens; *Mephitis*, dorſo albo, linea longitudinali nigra; *Zorilla* albo nigroque variegata; *Capenſis* nigro dorſo griſeo albo marginato, foetidiſſima. Inuenitur ad Caput Bonae Spei.

XII. *Canis*, habet dentes primores ſex, laterales longiores diſtantes, intermedios lobatos, inferiores ſex itidem, et laterales lobatos; laniarios ſolitarios, incuruatos; molares plus minus ſeptem.

Colore, magnitudine, cauda, et moribus variat. *Species* eius sunt:

1) *Canis Familiaris*, der Hund, Eb, (Kutya), Pes; foemina, die Hündinn, Nyöstény-Kutya, Suka; catellus, das Hündchen, Kölök, Schtena. Vorat carnes, panem, esculenta varia, raro olera, et fructus. Resorbet eiecta; potat lambendo: mingit saepius, mas latus versum, foemella antice incurvato. Etsi velociter interdum currit: rarissime tamen sudat; vtvt, vbi incaluit, linguam prae calore exerat. Adolescit annuo tempore: parit catellos, eosque coecos ad 4—10, mares cani, foemellas matri nonunquam similes. Fidissimus omnium, blandus, vigil, cautus, saepe, quum praecurrit, cumprimis in biuio, respicit, docilis, agitat subinde veru, trahit carros leuiores, et Romae, Io. Fabri visus mendicum oculorum lumine captum, ostiatim duxisse. In Aegypto ad Nilum, quod nouit Crocodilos sibi insidiari, fugiendo carptim aquam haurit; inde prouerbium: *Vt canis ad Nilum.*

Tametsi mendicat domi ad mensam, et in furto deprehensus timet: tamen in aula audax, et quasi dominus versatur. Mendicos, velut praesagiret sibi cum eis de esca certamen fore,

ma-

maxime allatrat, laceſſit ignotos. Sagacitate, et memoria pollet admirabili; quando veſtigia perditi heri ſequitur, dum inuenerat, ac verbera ſemel accepta, longiſſima item itinera recordatur: noctu imagines rerum repetit latrando.

Eſt praeterea amore erga heros, conſtantia, et obedientia prorſus ſingulari. Apud *Plutarchum*, *Aelianum*, alios, vt recentiores praeteream, legimus, de cane triduum, domino occiſo adſiſtente, ac homicidam deinceps prodente. conf. *Plinius* l. 8. c. 40.

Vt huius modi res in canibus omnino laudandae: ſunt nihilominus, quae eosdem reddunt odioſos; inter alia obſcenitas, ingluuies, iracundia, inuidia, — — in ſene pigritia; cum ſibi vel aures a muſcis perforari patiatur. De caetero duriſſimae eſt cum homine naturae, cum quo vel iſthoc, caetera vbi nulla fere ſunt animalia, habitat orbe ſcil. in vtroque, eiusque in omnibus, quaqua patet, partibus. Certe, vt homo, ad naturalem communitatem factus eſſe videtur. Sacer olim Aegyptiis, hodie Iaponenſibus, exſecrabilis Mahomedanis; victima Anatomicorum, varia propter experimenta.

Olim Graeci, et Romani, hodie complures Asiae, et Africae populi, carne vescuntur canina. De morsu canis rabiosi ex veteribus nonnulla praescribunt, *Aristoteles* in Histor. animalium, *Plinius* l. 8. c. 41. *Auicenna* l. 2. Fen. 6. Tract. 4. c. 4 — 9.

Canum varietates hae fere fuerint:

a) *Canis Domesticus*, der Haushund, (Schäferhund), Komondor, domacy (duorny, pastyrsky) pes, quem in pecuarium, et villaticum dispesci videas. Hunc si vis habere bonum, vt rei rusticae auctores praecipiunt, elige amplissimum corpore, vasti latratus, canorique, colore atro, vt prius auditu furem, dein etiam adspectu terreat, de nocte haud facile adpariturus, nigris, vel glaucis oculis, acri lumine radiantibus, latis armis, moribus neque mitissimis, neque trucibus; quod illi furem adulantur; hi etiam domesticos inuadunt. Nec tamen multum refert, an corporibus graues, sint, et parum veloces, cum inter septa consistere debent.

Pecuarium vero canem oportet esse et robustum, et celerem, vt gregi inhiantes hostes arcere valeat, colore inprimis albo, quominus noctu pro lupo, cum hic insidiatur pecori, interimatur a pastoribus. Villosi maxime laudantur, quales in Hungaria, praesertim ad Rabam

bam inueneris, vtpote, qui et robore, et magnitudine caeteros anteeunt. Quod reliquum est, canis domesticus habet quidem caudam recuruatam, ad non semper, vt quidam affirmare visi sunt, sinistrorsum.

b) *C. Molossus*, der Bullenbeisser, (der Fleischhackerhund), *Szeléndek*, Massársky Pes, domestico si non maior, certe crassior, labiis pendulis, par Anglicano, trux, si incitetur, caetera mitis.

c) *C. Sagax*, der Jagdhund, Kopo, Kopow, labiis, et auribus latis, digito spurio ad tibias posticas, latratu iam acuto, iam profundo, et graui; prior, fera si proxima sit, intenditur, acceleraturque. Surripit, quod potest, ventri vt obediat.

d) *C. Aquaticus*, der Budel, rostro breui, auriculis latis, corpore, ob pilos longos, et plerumque crispos, crassiore, pedibus minutis. Huc retuleris *Equarium*, quod fideliter equisonibus seruit, *Mauschel* vulgo dictus.

e) *C. Fricator*, der Mops, Vetzere, Mupsl, caput habet quadratum, nasum breuem resimum, corpus torosum breve, aures pendulas, pilos minusculos.

f) *C. Auicularis*, der Wachtelhund, Vizla, capite crassiore, cauda truncata, pilis breuibus, vt plurimum albicans,

 ma-

maculis nigricantibus, vel flauis, aut cinereis discolorius. Assas non comedit coturnices. Hunc nonnulli *Pantherinum* canem vocant, alii iam *Bengalensem*, iam *Dalmaticum*.

g) *C. Graius*, das Windspiel, Agár, Chrt, capite oblongo, rostro acuminato, auriculis subpendulis, corpore tenui, abdomine maxime attenuato, dorso postice incuruato, cruribus tenuibus, et longis, cursu velocissimo. Reperitur in Hungaria diuersa magnitudine, et colore vario. Latrat rarius; lepores, vasta cumprimis in planicie, facile adsequitur.

h) *C. Melitaeus*, der Bologneserhund, Pumi, Pummel, varius, omniumque minimus, pilis mollissimis.

i) *C. Aegyptius*, cute, sine pilis, cinerea nigricante. Habitat in Guinea, sub zona torrida, ob calorem, sine dubio, nudus. Alias species canum, si placet, legas apud Cl. Erxleben, et tabulam genealogicam canum apud Ill. Buffonium.

2) *C. Lupus*, der Wolff, Farkas, Wlk, maior ordinario cane familiari, capiteque crassiore, dentibus robustis, auriculis erectis, oculis oblique positis splendentibus, lucemque iaculantibus, vnguibus retractis incedens, vt felis. Pro coeli, aerisque temperie, vario in-

inuenitur colore. e. g. ex cinereo flavescente, vt in Hungaria, alibi, albo, nigro, luteo, pelle striata. Animal ferox, fame, quam diu perfert, in homines, imo propriam saeuit speciem, et saepe plures, quam pro ingluuie, occidit oues: fraudulentum, praedam vt plurimum a tergo adgreditur, ouile aduerso vento, ne canes odore excitet: carniuorum, quamquam veteres terra vesci tradiderant, quam saepe deglutit omnino, quo praedae inhians, grauius pondus habeat, sed egerit postea. Ignem metuit, tractum funiculum, strepitum validiorem, portasque, quas nunquam subit, sepes transilit. Ineunte mense Decembri coit, intra 10. menses parit ad 5-9 catellos coecos: producit aetatem ad 15-20 annos. Viuus nocet: mortuus pelle, cuius odor insecta pellit, (vti adeps terret equos) hominum inseruit vsibus. Habitat vbique in syluis, et arundinetis, hicque saepe gregatim. Anglia tamen venatione, lupis est liberata. An hodieque, verum sit, quod Plinius scripserat, *non esse scil. lupos in Olympo, Macedoniae monte, nec in Creta insula*, affirmare non audeo.

De caetero traditur, *Lupum Senegallensem* caeteros feritate superare; *Aegyptium* esse minorem aliis; *Americа-*

canum minimum; *Kamcſatkenſem* vero timidiſſimum. Lupum, et canem eiusdem generis adſerentem contra *Cl. Buffonium* legas, ſi collibet, *Cl. Zimmermannum* Zoologiae c. 1. Sect. 3. §. 3.

Ad luporum ſpeciem praeter Hyaenam, de qua actum §. 32. refertur *Thoes*, (Lupus aureus, Ariſtoteli Cervarius) der Zwerg-(Gold-) Wolf, minor lupo vulgari, capite fuluo, pilis cinereis, et nigricantibus diſtincto, gula alba, corpore ex griſeo flauo, ventre pallide fuluo. Noctu cateruatim, numero ad 200, vicos ingreditur praedae cauſa. Vno ſono edente, perſtrepunt remoti quoque, vlulatu incondito. *Conf. Ariſtoteles* Hiſt. Natur. l. 9. c. 44. vbi inter alia ſcribit: *Thoes cum canibus, et leonibus pugnare.* Habitat in India Orientali, et in Africa, boream verſus.

3) *Canis Vulpes*, der Fuchs, Róka, Liſchka, magnitudine corporis, par cani mediocri, erectis auriculis, ventre ſubſtricto, cauda longa, piloſa, gula alba, corpore flauo ruſeſcente, ventre ſubalbido. Animal vt aſtutum, ita rapax; ſaeuit enim in anſeres, agnellos, gallinas, auiculas: inſidiatur leporibus, quin et piſcibus: pingueſcit vtplurimum ouis, et mele. Dum cibus ſuperat, terrae condit: fame preſſa, vel ſter-

cora

cora vorat animalium; ſecus veſcitur cancris, buffonibus, Scarabaeis, locuſtis. — — Parit 5 - 8. catellos coecos, interdum bis quoque per annum. Amat frigora, certe zonas temperatas. In terris borealibus offenderis, praeter griſeas, et glaucas, albas etiam vulpes, in Tartaria, et China nigras, maximi pretii.

Vt tamen vulpium differentia, tanto clarius eluceſcat, notetur velim:

a) *Alopex*, der Brandfuchs, vulgari minor, colore magis ex ferrugineo nigricante, cauda obſcuriore, apice nigro.

b) *Lagopus*, (*Vulpes alba*, *Iſtatides*) pedibus leporinis, pilis vulpinis mollioribus candidis, ſed cinereis quoque. Huc pertinet *Vulpes crucigera*, der Kreutzfuchs, cruce nigra in dorſo, linea transuerſali per humeros diſtincta.

c) *Thous*, der Surinamiſche Fuchs, colore griſeo, ſubtus toto albo. Adde *Vulpem Virginianam*, et canem cinereto argenteum.

d) *Lycaon*, (*Vulpecula nigra*,) media intra vulpem, et lupum, corpore toto nigro, pelle pretioſiſſima.

XIII. *Felis*, dentes habet primores ſex, acutos, laniarios ſolitarios, linguam retrorſum aculeatam, pedes vnguibus inſtru-

ſtructos retractabilibus. Huiusce numerantur *Species:*

1) *F. Catus,* isque

a) *Domeſticus,* ſeu Felis domeſtica, quam Syriacam vocant, die Katze, (der Kater,) Macska, (Bak - Macska), Kocska, (Katzur, Kot) pilis diuerſi coloris mollioribus, blanda, docilis, callida, ſtudioſa munditiei, dorſo electrico, id eſt, ſi fricetur, nigra inprimis, in tenebris ſcintillante, ineunte aetate ludibunda, at in ſenectute ſomnolenta. Irata pilos erigit, fremit, arbores celeriter conſcendit; in praedam intenta caudam mouet: leo murum; ſed auiculis etiam inſidiatur, nec cuncta ſpernit vegetabilia: contra quibusdam loco medicinae vtitur. e. g. Maro, Neputa, Valeriana. Clamando, rixandoque miſere amat: pullos querula voce conuocat, et cum eis ſaepe ludit: videt de nocte, et venatur tanto ſecurius: deiecta ex alto, in pedes, extenta cauda, decidit.

Catum Aegyptii olim pro Deo colebant, et ob interemtum, multos Romanorum, Imperante Tiberio, vt *Diodorus Siculus* teſtatur, per ſeditionem neci dederunt.

Caeteris pilorum bonitate *Angorenſis,* et *Hiſpanica,* antefertur, prior gaudet iuba denſa, et pilo ſubtiliſſimo, ſe-

ſerico aequiparando. Nec noſtrarum, praeſertim nigrarum, et albarum pellis contemnenda. Caro a plerisque populis comeditur.

b) *C. Ferus*, ſeu *Felis Sylueſtris*, die wilde Katze, Vad-Macska, Diwa Macska, maior, vt omnes ferae, domeſtico, pilisque longioribus, ex flavo, albis griſeisque ſtriis decorata. Huc refero *Catum Indicum*, quem *Serval* adpellant, corpore ſupra fuſco, maculis nigris, ventreque albo. Degit fere ſemper in arboribus, quarum ex vna in aliam celeriter tranſilire ſolet.

2) *F. Lynx*, der Luchs, Hiutz, Oſtrowid, magnitudine vulpis, pedibus breuioribus, cato perſimilis, cauda tamen non tam longa, apice atro. Pelle gaudet ſubducturis vtili, coloris griſei, aut caſtaneo rufeſcentis, tigrinis maculis; inde ſaepe pro Pardi, aut Tigridis cute venditur. In Suecia reperiuntur Lyncum albae quoque ſpecies, nigris maculis diſtinctae, item ſubrufae, nigro variegatae. Adgreditur oues, capras, lepores, damas, ceruos; at hos quidem, plurimum de arbore in tergus deſiliendo. Habitat et in Hungariae regionibus auſtralibus. Id mirum, quod Plinius l. 8. c. 38. ſcribit: *Lyncum humor ita redditus,*

vbi

vbi gignuntur, glaciatur, arescitue in gemmas, carbunculis similes, et igneo colore fulgentes. — — Nouere hoc, sciuntque Lynces et inuidentes, vrinam terra operiuut, eoque celerius solidatur illa.

Varietatem Lyncis lege, si lubet, apud Cl. Erxleben p. 528. sequentibus.

3) *F. Leo,* der Löwe, foemin. Leaena, die Löwinn, Oroszlány, Lew, (Lwicze). Longitudo corporis, vltra 8. pedes, caput crassius, frons quadrata, nasus amplior, oculi magni, aures breuiores rotundatae, collum iuba, humeri pilis longioribus hirsuti, cauda floccosa, pars postica pilis breuioribus laevis, pectus robustum, color luteorufus, ventre albicante; cor maximum. Foemina mare minor, sine iuba, mammis binis. Vescitur quadrupedibus, interdum fame coactus, homines quoque inuadit. Esurit die nonnisi tertio, bene antea pastus, rugit magnopere, adfectu abreptus. Timet tamen vt lupus, ignem, strepitum, laruas, cantum gallinaceorum: simias, et lupos odit. Quod reliquum, animal est generosum, prostratis parcit, saepe et sibi obiectis; infantes, nonnisi in magna fame, perimit, venatores, nisi in syluis, non fugit.

De

De Leaenis ſcribit SOLINVS Polyhiſt. c. 30. quod illae *foetu primo, catulos quinque edant, deinde per ſingulos partus, numerum decoquant annis inſequentibus: ſed poſtremo, cum ad vnum materna foecunditas recidit, vt vltimo ſingulos procreent, ſteriles fiant in aeternum.* Nec praetereundum, quod AELIANVS. Var. Hiſt. l. 1. c. 9. narrat dum *Leoni*, inquit, *aegrotanti, nulla poteſt alia medicina adhiberi, quam ſi comedat ſimiam.* Id memorabile, Sullam in ludis Rom. 100. iubatos leones, Pompeium vero 500 produxiſſe. Habitat in Aſia tantum, et Africa.

4) *F. Tigris*, der Tiger,. Tigris, ſaepe leone maior, certe longior. Fuluo nitet, quod nigrantibus ſegmentis interundatum varietate adprime decet. Velocitate maxima pollet. Nihil adeo antecedit, quod non illico adſequatur; inprimis maxima celeritate inſiſtit catulorum raptoribus. Adoritur ſaepe leonem, et occidit, elephantumque, cuius proboſcidi maxime inſidiatur. Mas ſuffocat progeniem ſuam, vt catus, ſi poteſt. Habitat extra Europam.

5) *F. Pardus*, der Parder, Pardutz, Rys, eadem fere qua tigris magnitudine, auriculis acutis breuioribus, pi-

lis laeuibus, ſplendentibus fuſcis; latera et dorſum maculis nigris minoribus, pectus album, ſtriis obſcuris transuerſis, cauda nigro maculata decoratus. Pellis eius, ob aſperſas, quaſi lunulas, ſiue maculas, partim nigras, partim ſubalbas, pulchritudine cum tigrina certat. Pardus eadem eſt cum Tigride ferocitate. Praedam ſubinde ex inſidiis rapit, equorum humeris inſilit, hominem tamen, cuius licet ſanguine maxime delectetur, fame nonniſi extrema preſſus, non adoritur. Diſſidium ei intercedit cum draconibus, et hyaena, cuius ne cutem quidem detractam ferre poteſt. Habitat in Indiis.

6) *F. Panthera,* das Pantherthier proceritate canem maiorem adaequat, capite craſſo verſicolore, pedibus minutioribus; pelle albido-cinerea ſubflauicante, maculis nigris paſſim diſtincta; cicurata canis venatici vices obit. Reperitur in Africa, et Aſia. Addam his verba C. Ivl. Solini, ex Polyhiſt. c. 21. quae ita habent: *Pantherae quoque numeroſae ſunt in Hyrcania, minutis orbiculis ſuperpictae, ita vt oculatis, ex fuluo circulis, vel cerulea, vel alba diſtinguatur tergi ſupellex. Tradunt odore earum, et contemplatione armenta mire adfici, atque vbi eas*

eas perſentiſcant, properato conuenire, nec terreri, niſi ſola oris toruitate. Quam ob cauſſam Pantherae abſconditis capitibus, quae corporis reliqua ſunt, ſpectanda praebent, vt pecuarios greges, ſtupidos in obtutu, populentur ſecura vaſtatione. Haec ille fere ex Plinio.

7) *F. Leopardus*, der Leopard, quatuor pedum longitudine, pilis ornatus pallide fuluis, maculis dorſi nigricantibus, paruis inque circulos diſpoſitis. Beſtia ferox, quae praeter alia animalia, hominem quoque facile inuadit, pardum nacta inimicum. Habitat in Guinea.

8) Ad enumeratas hactenus ſpecies felium, pertinet *F. Iubata* corpore fuluo, maculis nigris, a iuba ſortita denominationem; *F. concolor*, ſeu Leo Americanus, corpore fuluo maculato; *F. Nigra*, magna, vt annuus vitulus, a colore nomen trahens; *F. Onca*, ſeu Pardus Braſilienſis, pulchre verſicolor; *F. Pardalis*, maculis ſuperioribus virgatis, inferioribus in orbem retortis; et *F. Tigrina*, corpore fuluo, nigro ſtriato, ſubtus albido, cato vix maior.

XIV. *Vrſus*, habet dentes primores ſuperne ſex, totidem in parte inferiore, laniarios conicos, molares iam quinque

iam ſex, linguam ſatis laeuem, et membranam nictitantem; cuius *Species:*

1) *V. Arctos*, der Bär, Medve, Nedwed, vituli magnitudine; capite longo, et craſſo, auriculis breuibus rotundis, cauda abrupta, pedibus craſſis, (anteriores ſunt breuiores poſticis) corpore pilis longioribus hiſpido; colore iam ferrugineo fuſco, iam rufeſcente, nigro item, et albo. Victitat radicibus, fructibus, gramine, baccis, et melle; eſt etiam carniuorus. Aquam morſu haurit. Si laceſſatur, agiliſſime in pedes poſteriores erectus, pugnat palmis ambabus, dentibus raro. Saepe ante pugnam catulos arbores aſcendere cogit, ne in diſcrimen veniant. Dum cubat, palmas lambit, ſicut hyeme tota abſtemius. Animal iracundum, forte, et vindictae cupidum, ſi laedatur; in iuuentute tamen manſueſcit, et ſaltum exercet ludicrum. Habitat fuſcus, et rufeſcens paſſim in Hungariae montanis, cui venatores, ob pellem, ad varios vſus vtilem, adipemque, frequenter inſidiantur.

2) *V. Maritimus*, ſeu *Albus*, der weiſſe Bär, Fejér Medve, Bjly Nedwed, maior priore, vtvt Cl. Ebert minimum vrſorum ſcribat; diſtinguendus ab albo praecedente. Victitat auibus, phocis,

cis, piſcibus. — Natat bene, et vrinatur. Ad polum eundem quaeſiveris arcticum.

3) *V. Meles, Taxus*, der Dachs, Borz, Jazwecz, longitudine canis mediocris, capite vulpino, paruis oculis, quos membrana nictitans tegit; aures rotundae breues, collum, et crura itidem minuta, pili longi, rigidi, in medio nigri, apice cinerei. Vorat inſecta, oua, radices, gramen, fructus. — — Degit in ſpecubus, quas plures, vno introitu fodit, extra quas aluum exonerat. Manſueſcit iunior; at non adultus. Habitat, praeter Aſiam, et in Hungaria.

His adde Vrſum Americanum *Lotorem*, faſcia per oculos transuerſali nigra, et *Luſcum*, cauda elongata, corpore ferrugineo.

4) *V. Gulo*, der Vielfraſs, Sokmardakó, Mnohozracs, taxo fere ſimilis, craſſior tamen, et maior, capite breui, craſſiore corpore, nigro, griſeoque mixto colore, faſcia fulua, per dorſum pulchre decurrente, pelle panni inſtar Damaſceni, diuerſis figuris ornata. De arbore in ſubeuntes beſtias, homines interdum inſilit, ac dilaniat, voratque ſub ſe fugientes. Alit Gulones, Lappia, Noruegia, Suecia, Ruſſia, et Lithuania. De his *Ponto-*

pidamus in Hiſt. Norweg. *Gulonis*, inquit, *facies*, *et magnitudo*, *eadem ferme eſt*, *quae canis oblongi*; *craſſioribus autem pedibus*, *acutisque et vnguibus*, *et dentibus inſtructus eſt.*

Tradiderat *Schottius*, cum *Franzio* Gulonem, quem prior depictum dedit, inuento cadauere tantum vorare, vt inſtar tympani extendatur; illico autem quaerere duas compreſſas arbores, quarum per anguſtiam, ingeſta violenter exoneraret; idque, dum cadaver duraret, iterare. Sed id quidem apud hodiernos ſcriptores fabulam redolere videtur. Vid. Saltem Cl. Ebert in Hiſtoria Natural. Id certum, beſtiam eſſe foetore propemodum intolerabili; et pelle non mala: ludibundam dixerat Stellervs.

XV. *Simia*, dentibus munita prioribus quatuor approximatis, laniariis remotioribus, molaribus, vt homo, obtuſis. Multiplex ea eſt, ſi non generis, certe ſpeciei. Generatim notandum, Simiam, quo et Semihomo §. 20. refertur, inter omnia animalia, homini eſſe ſimillimam, vt iam Ennivs cecinerat. *Simia*, *quam ſimilis*, *turpiſſima beſtia*, *nobis*. Harum in Africa potiſſimum, ad 100, immo mille gregatim incedunt; agunt inter ſe excubias, et non ſatis vigiles, more ſuo

ſuo puniunt. Cibus praeſertim arborum fructus, vt ſunt poma, caet. Simiae ſunt dociles; percipiunt multa, ſaltant, luduntque riſibiliter, cum canibus, infantibusque; canunt fiſtula, aurigantur, quaerunt pediculos, quos deuorant; facta hominum imitantur. Narrat AELIANVS: *Vidiſſe ſe Simiam nutricem, aqua abluiſſe infantem: hac poſtea abſente, idem voluiſſe praeſtare; Sed loco tepidae, feruentiſſima aqua perfudiſſe infantem.* Certe catulos ſuos tantopere amant, vt eos, ea ex re, ſaepenumero vel ſuffocent.

Capiuntur calceis interne bitumine illitis, quos venatores, ſaltum mentientes, in conſpectu relinquere ſolent: potu item inebriante, quo obdormiunt. Caeterum in periculo conſtitutae, opem ſibi ferunt inuicem defenduntque ſe lapidibus, lignis, et, ſi omnia deſint, propriis quoque, ſit venia verbo, ſtercoribus, quae perſequentium in ora iaciunt.

Poſteaquam iſta hactenus generatim vidimus de ſimiis, liceat iam eas diuidere in tales, quae caudis carent; quae breues; et tandem, quae longas habent. Illae nominantur *Simiae propriae*, der Affe, Majom, Opice; hae *Papiones*, Pauian, Kutya Majom; iſtae *Cercophitheci*, die Meerkatze, Macska-

Majom, quarum ſupra 20 numerantur vaietates, inter alia a barbis deſumtae. Breuitatis cauſſa, et quod ſint beſtiae exoticae, nuda ſolum adponam nomina, addito tamen charactere quodam.

Sint itaque *S. Hamadryas*, cinerea; *S. Veter*, barba nigra; *S. Vetulus* barba candida; *Senex*, barbatus totus albus; *Silenus* barbatus, totus niger; *Faunus*, cauda apice floccoſa; *Cynocephalus*, imberbis flaueſcens; *Diana*, barba faſtigiata; *Mona*, barba ruſo fuſca; *Sabaea*, imberbis flauicans; *Patas*, barbatus ruber, et canus; *Nictitans*, imberbis, niger, punctis pallidis adſperſus; *Petauriſta* barbatus, facie nigra; *Talapoin*, buccis barbatis; *Cephus*, ſimilibus priori buccis, ſed vertice flaueſcente; *Aethiops*, ſine barba, pilis arrectis; *Aygula*, ſubimberbis, griſeus; *Maura*, niger totus; *Sinicus*, capillitio vndique horizontaliter caput obumbrante; *Roloway*, barba bifida alba; et *Nemaeus*, mento buccisque barbatis. Legas plura apud LINNAEVM, BVFFONIVM, ERXLEBEN, ZIMMERMANNVM, et SCHREBERVM. His addi ſolent:

a) *Lemures*, ſi manus reſpicias, ſimiis non multum diſſimiles, at figura roſtri, quod ſicuti vulpium mucronatum eſt, ab illis diſcedunt. In his ponitur *Tardigra-*

gradus, *Mongocz*, *Macaco*, *Cotta*, *Flavus*, *Tarsier*, et *Volans*.

b) *Callithrices*, simiae pillosae, imprimis, quantum ad caudam attinet, quo refertur *Pithecia*, *Iacchus*, *Oedipus*, *Rosalia*, *Argentata*, et *Midas*.

c) *Cebus*, quo refertur Seniculus, Capucinus, Apella, Trepidus, Tatuellus, Sciureus, Lugubris, sed ante caeteros *Belzebul*, der schwarze Brüllaffe, et *Paniscus*, seu Coaita. De priore, ex Georg. Marcgravii, *de Liebstadt*, Hist. Nat. l. 6. referunt plurimi, esse eundem, magnitudine vulpis nostratis, facie elata, oculis nigris, et splendentibus; numero maximo in syluis Brasiliae inueniri, ibique horribilem clamorem excitare; singulis diebus, ante et postmeridiem, semel atque iterum conuenire; vnum eorum minorem, in medio, et altiore loco residere, reliquos paulo inferius circumsistere; illum praecinere voce alta, et signo pede, quasi manu, dato, reliquos omnes accinere, tamdiu cantionem prorogantes, donec superior iterum signum det, et tunc omnes vno momento silere, et superiorem grandi voce cantionem finire.

Paniscus vero adaequat molossum proceritate, cauda vero, corpore vtpote longiore, superat, qua ex arbo-

re pendens celeriter transilire dicitur, ab vna, in aliam, arripere hac (cauda) omnia, cibum ori admouere, quin piscari etiam. Degunt Panisci arboribus gregatim, ex quibus peregrinantes, variis modis illudunt impetuntque: si quis eorum occidatur, horribilem edunt fremitum vlulatumque, ac quidquid corripere possunt, vibrant in hostes.

CAPVT III.

DE ANIMALIBVS DIGITOS INDIVISOS, ET INFORMES HABENTIBVS.

§. 34.

Supersunt *Animalia*, quae *digitos* habent *indiuisos*. Horum est

I. *Castor*, animal amphibion, cui sunt dentes primores vtrinque duo, superiores truncati, inferiores apice transversi, laniarii nulli, cauda plana, squamosa, oualis fere *Species:*

1. *Fiber*, (Plinius: *Fibri*, *quos castores vocant,*) cuius longitudo perhibetur esse trium pedum, cauda vndecim pollicum. Caput ei est breue, rostrum obtusum, aures minutae, oculi parui, color castanaeus. Architectura eius, in construendis domiciliis, aquarum intra gurgites, plane est admiranda, de qua consule Cl. Bonet. Dentibus certe

certe arbores, mediocris craſſitiei, ſternere, findere, in aquas deportatas, terrae ſepis inſtar, vt diuiſas efformet contignationes, ope fortioris ſuae caudae defigere perhibetur.

Reperiuntur Caſtores in Danubii quoque ripis; ſed gregatim nonniſi frigidiores plagas incolunt, quorum pili magno inſeruiunt vſui.

2. *C. Zibethus*, priore multo minor, quamquam figura aequali. Habitat in America.

II. *Lutra*, amphibion itidem animal, quod dentes habet ſuperiores ſex, acutiores, erectos, diſtinctos; inferiores totidem, ſed obtuſiores, et confertos; duos vero interiores. Si hos quidem exceperis, propinqua cognatione attingit caſtorem. *Species* :

1) *L. Marina*, ſeu *Muſtela Lutris*, cuius longitudo corporis creditur eſſe, vltra quatuor pedes, cauda ad 13 pollices, caput depreſſum, auriculae paruae, villoſae, os obtuſum, ſuperior maxilla latior inferiore longiorque; myſtaces plurimae, cauda depreſſa, crura breuia, pili ſubfuſci, cum lanugine molliore, qui tamen variant. Nigra pellis ſaepe 50, et pluribus nummis vncialibus venit.

Lutra haec prolem amat maiorem in modum, quam dorſo natans, palmis te-

nere ſolet, qua ſibi erepta, prae moerore ſaepe exſtinguitur. Habitat in Aſia ſeptentrionali, et America.

2) *L. Vulgaris*, *Muſtela Lutra*, die Fiſchotter, Vidra, minor priore, vt cauda longiore, capite lato, corpore oblongo, colore profunde fuſco, et caſtaneo. Victitat piſcibus, ranis, cancris, herbis, et corticibus. Vtut ferox, et mordax: manſueſcit tamen, qua Sueci ſaepenumero vtuntur, in piſcibus capiendis. Repereris eandem paſſim in Hungaria ad fluuios, cuius caro vt piſcium comeditur; cutis varios conuertitur in vſus.

3) *L. Minor*, ſeu *Paluſtris*, die Schuppotter, Polonis Nurek, Ruſſis Norka, priori ſimilis, niſi quod triplo minor ſit, pilis adhaec breuioribus fuluis, longioribus ſubnigris. Venando agitata, intolerabili odoris foeditate, perſequentes repellit. De Lutris plura legas apud Cel. Bvffonivm, et Müllervm.

§. 35.

Claudunt tandem ſeriem tractationis *Animalia*, quae *digitos* habent *informes*, quo refertur:

I. *Phoca*, dentes habet ſuperiores ſex parallelos, quatuor talismodi inferiores, laniarios ſolitarios longiores, molares

lares ad ſex tricuſpidatos; corpus poſtice gracileſcens. *Species:*

1) *P. Vrſina*, der Seebär, longa ſeptem pedes, capite vrſino; ſed craſſiore, oculis magnis, prominentibus, auribus paruis, collo craſſo, cauda perbreui; mas pilo nigro, foemina cinereo. Habitat inprimis in Kamcſatka, vbi gregatim incedit.

2) *P. Leonica*, der Seelöwe, ad 20 pedes longa, pilis breuibus, pallide fuſcis. Degit ad polum Antarcticum. Maior hac eſt *Phoca Iubata.*

3) *P. Vitulina*, ſeu *Vitulus Marinus*, der Seehund, (das Seekalb), longa ad ſex pedes, oculis magnis, membrana nictitante inſtructis, capite grandi, absque auribus, corpore fere conico, pilis breuibus denſis, colore fuſco, albido adſperſo, abdomine pallido, vnguibus acutis. Aeſtate in ſicco degit; hyeme ſaepius in mari, intrat fluuios quoque, dormit in lapide, ex aqua prominente.

4) Datur etiam *Phoca hiſpida*, ſeu *foetida*, *criſtata*, *barbata*, ſeu maior, *puſilla*, ſeu vitulus maris Mediterranei. Phocae per omnes fere oceani partes diſperſae ſunt; ſed dantur etiam in mari Caſpio, quin auctore ZIMMERMANNO, in *Baikal*, lacu Siberiae aqua dulci ſcatente. Conf. ERXLEBEN p. 589 — 592.

II.

II. *Trichecus*, caret auribus, primoribusque dentibus; laniarios ſuperiores habet ſolitarios; molares ex oſſe rugoſo, labia, vt lepores, geminata. *Species*:

1) *T. Rosmarus*, ſeu *Equus marinus*, das Wallroſs, Tengeri Ló, Morsky Kun, longus tres orgias, craſſus duas, capite elephantino, ore exiguo, oculis minutis, ſplendentibus, collo breui, et craſſo, corpore caudam verſus gracileſcente, cruribus paruis, digitis pinnatis, pedibus poſticis latis, retrorſum inclinatis, cauda breui, pilis rarioribus paruis, fuſcis, voce bouina. Veſcitur fucis, piſcibus — — Incedit gregatim in frigidiſſimis regionibus.

2) *T. Manatus*, ſeu *Vacca marina*, (fors Veterum Delphinus), die Seekuh, Tengeri Tehény, Morska Krava. Europaeus ad 2. Americanus ſupra quatuor orgias altus, cetis maxime ſimilis, quippe cuius pedes antici, inſtar pinnarum ſunt, poſtici vero caudae horizontalis. Caput habet paruum, et fere quadratum; nares ſetoſas, et labia; linguam acutam, paruam; oculos exiles; cutem craſſam, corticis quercus aemulam; ſetas rariſſimas. Inter paſcendum (viuit vluis, aliisque vegetabilibus) ex aquis, quas egreditur nunquam, dorſum eminet, in

in quo auiculae pediculos, quibus ſcatet, pulchre venantur. Mitis, monogamus. Dormit a prandio, natans reſupinus. Pondus eiusdem ſaepe numero plus minus 8000 libras adaequat.

§. 36.

Mammalia haec ſunt, aliis *Lactantia*, quae hactenus breuiter deſcribere libuit, animalia, ad quae referuntur *Balaena*, piſcis 16 circiter orgiarum, *Phiſeter*, *Delphinus*, et *Monoceros*. At enimuero, quum haec pedibus careant, equidem deſcriptione eorundem, hoc loco, ſuperſedendum eſſe putaui. Videatur interim CEL. BVFFONII Hiſt. anim. quadrup. MÜLLERI Syſtema natur. et IONSTONI Theatrum omnium animalium quadrupedum.

TANTVM!

SOLI DEO GLORIA.

